

ALVARO GOMEZ  
(de Ciutad Real)

SEPTEM ELEGIAE IN SEPTEM POENITENTIAE PSALMOS.

(1834 vers)

Le texte qui suit est la transcription de l'édition de ces élégies publiée à Tolède, en 1538, chez Johannes de Ayala. Pour le rendre plus accessible, nous avons 'modernisé' les graphies, rétabli les majuscules à l'intérieur des vers, et modifiée certaines ponctuations par trop déroutantes. Une page mal photographiée a fait l'objet, pour certaines extrémités de vers, de quelques restitutions.

ELEGIA PRIMA IN PRIMUM POENITENTIAE PSALMUM.

E_1	<p>v.1        O bonitas, nec capta animis, nec prodita verbis,           2            quae minui nullo tempore laesa potes,           3            o charitas ardens, o non imitabilis ignis,           4            o pietas culpis non superata meis,           5            ecquid, ubi averso cernis mea crimina vultu,           6            vox tua terribili mota furore fremit ?           7            Agnosco lapsus, nec verbera ferre recuso.           8            Commerui duras jam subiisse manus.           9            Commerui tortus rabidum torquere tyrannum,          10            artibus his Stygios et satiare canes.          11            Commerui quicquid sub vortice fervet Averno,          12            ceteraque in furiis vincere monstra meis.          13            Hoc fuerat, si justus amans, non optimus esses,          14            et mea fraus domino sit nocitura pio.          15            At tibi, quem laesi, nocui nihil. An tua virtus          16            sit minor, aut somno dormiat illa meo.          17            Respice me versis oculis, et lumine pleno,          18            ab precor ultorem non decet esse patrem.          19            Nec me despicias, misero quod flexa sopore          20            mens mea non flammis tollitur acta tuis.          21            Pro me Christus adest, en vulnera quina, crucemque          22            aspice, pro maculis occidit ille meis.          23            Occidit, et totam mundavit sanguine lepram          24            factus pro nobis hostia grata reis.          25            Pendit et ille meas suspensus in arbore culpas          26            solvit et affixus debita nostra deus.          27            Ergo iras durosque oculos, frontemque minacem          28            pone furens, non hic quem petis, hostis adest.          29            Sum manibus pedibusque jacens, plectendaque pronus       </p>
-----	---

30            colla ferens. Domino quis neget ulla suo ?  
 31        Ne miserum omnipotens letalibus argue verbis.  
 32            In lacrimas teneras dura flagella vacant.  
 33        Magnum erit, indomitas feriant si fulmina turres,  
 34            at trifidus vinctam cur petat ignis ovem ?  
 35        Rex pie, vere parens nostro miseresce dolori.  
 36            Et moveant oculos vulnera nostra tuos.  
 37        Aeger inops medico non sum reparabilis ullon  
 38            ni tua caelestem dextera donet opem,  
 39            ah, sine te nulla valeam medicabilis hora,  
 40            sic me terrororam pestifer ussit amor.  
 41        Deficiunt vires animi, suppressaque virtus  
 42            languet, et exesis carnibus ossa patent.  
 43        Mens mea nocturnis obducitur icta tenebris,  
 44            anxia, quod gladio concidit usa suo.  
 45        Turbor, et uror iners, nam me male singula terrent.  
 46            Sic premor infernas visus adisse domos.  
 47        Sol mihi non gratus, somnum fero tristis acerbum,  
 48            exagitor monstris nocte dieque feris.  
 49        Sic terrae faciem, sic sidera clara pavesco,  
 50            a me cum domino ceu male laesa meo.  
 51        Hoc pretium sceleris, haec praemia digna reporto  
 52            ausus iter grati deseruisse dei.  
 53        Ausus Erymneo firmare cubilia saltu  
 54            scindor, et haesuros cerno per ora canes.  
 55        Rumpe moras opifer, servo et succurre vocanti,  
 56            in me ni properes tota superbit hiems.  
 57        Ecce inferna phalanx septenis classibus instat,  
 58            jamque tuum maesta clade peribit opus.  
 59        Ecce colubriferis peragunt nova gaudia sertis  
 60            Tartara, quae servum perdomuere tuum.  
 61        Dicunt imbelles charites, et sanguine ludunt  
 62            vincere ut obscaenas non queat emptor aves,  
 63            eripit Hebraeos calcata pre aequora Moses,  
 64            et pavitans Pharios sorbuit unda deos.  
 65        Nunc miseris Christo socio, nunc numine viso,  
 66            hostia Christianum merserit unda virum ?  
 67        Praeda feror, Stygius nunc me pereunte tyrannus  
 68            dixerit, in passum se valuisse deum ?  
 69        Respice vindicibus percussum viribus Orcum :  
 70            an queas excelsam Dis violare crucem ?  
 71        Respice divino perfusas sanguine terras,  
 72            ut crucis assertos liberat ara viros.  
 73        Respice me conversus amans, mentemque sepultam  
 74            eripe de infernis per tua verba procis.  
 75        Eripe Taenariis per nomina sancta sagittis.  
 76            Eripe de vitiis per crucis arma meis.  
 77        Grandia posco miser, sed rex dare grandia novit,  
 78            pastor et a saevis servat ovile lupis.  
 79        Munera grata quidem, non praemia debita posco,  
 80            et charitis patriae pignora, non meriti  
 81            quid faciam vermis nisi me clementia servet,  
 82            an rea mens meritis postulet astra suis ?  
 83        Stet pietas, justae secedant fulmina dextrae.  
 84            Nil nisi per Dominum vox petit ista pium.  
 85        Per Chariten Christumque peto, per dulcia nati

86           viscera, quid miseris denegat ipse parens ?  
 87       Summus amor patrium deduxit ab aethere verbum,  
 88       fecit et illusum vincla subire deum.  
 89       Summus amor caro tenebras expellit ab orbe.  
 90       Oranti veniam det quoque summus amor :  
 91       ah pietas, ne cede malis. In morte mederi  
 92       quis queat, aut verbi quis memor esse tui ?  
 93       Quas extollit opes, quae numina sancta fatetur,  
 94       qui vincunt infernis se videt esse locis ?  
 95       Et fueras etiam Stygia quaerendus in umbra,  
 96       per te, dona licet tunc quoque nulla dares.  
 97       Sed gravis, et nimium tristi confusa pavore  
 98       aethereas laudes dicere lingua nequit.  
 99       Carpitur in poenis, et robora fulminis odit,  
 100       carpit et infandis seque suumque notis,  
 101       ast ego non ullum renuam perferre laborem,  
 102       et mea mens alto mota dolore gemit.  
 103       Dumque tuas charites amissaque regna recordor,  
 104       flens fero submissas in tua jussa manus.  
 105       Effleo sopitos oculos, fletuque perenni  
 106       non tantum vestes sed mea fulcra madent.  
 107       Perque genas lacrimae stratum labuntur in ipsum,  
 108       ac mea continuis ora rigantur aquis.  
 109       Me frustratus amor, contemptaque numina torquent,  
 110       hei mihi funestos cogor habere dies.  
 111       Ddumque manum ultricem districtaque tela furoris  
 112       prospicio, flammis territor ipse meis.  
 113       Nox sceleris vindex, et imagine saeva bicorni  
 114       me petit, atque oculis incubat atra reis.  
 115       Nil placet obstricto furiis, agitataque maealent  
 116       pectora, sic animum turbida monstra premunt.  
 117       Sic vigilat vinclis, horrendaque somnia captat,  
 118       spiritus, a fatuis proditus illecebris.  
 119       Hostibus in mediis veteri confundor amore,  
 120       et mea sunt oculis facta pudenda meis.  
 121       Perdidimus vires animi, floremque juventae,  
 122       et quaecumque pii forma decoris erat.  
 123       Consenui curis jam jam moriturus acerbis ;  
 124       sed bona restituens maximus emptor adest.  
 125       Ecce deus grato divinam lampada vultu  
 126       mittit, et haec radiis circuit antra suis.  
 127       Ecce fenestrato decurrit candida caelo  
 128       gratia, declusas pandit et illa fores.  
 129       Gratia perpetui de sanguine nata magistri,  
 130       quam genuit pulchra mente perennis amor.  
 131       Quae tenero mollit durissima limina tactu  
 132       praeveniens, motus adjuvat atque pios.  
 133       Effugite hostiles acies, gladiique trifomes,  
 134       et chaos, et Stygio tincta sagitta lacu,  
 135       iraeque, insidiaque, et nomina dira laborum  
 136       effugite hinc, magnus dat mihi tela deus.  
 137       Non ego vir posthac terreno victus odore  
 138       pertimeam saevi vincula vestra doli.  
 139       Non colubros carnis, non tartara cuncta pavescam,  
 140       pro misero ultroneus venit in arma deus.  
 141       En Deus, ecce Deus, venit haec in vota vocatus.

142       Vere opifer, nostras audiit ille preces.  
 143       Exaudit voces miseras oculosque madentes  
 144        respicit, et lacrimis tangitur ille meis.  
 145       Quicquid erat laqueis quod me cruciabat Avernus,  
 146        rumpitur, et summo principe victor ero.  
 147       Felix, et nimium felix, fletusque dolorque  
 148        flectere qui rigidum sic potuere Deum.  
 149       Felices nimium lacrimae, gemitusque, precesque  
 150        quas positis odiis suscipit altitonans.  
 151       Armatas iras aeternaque fulmina ponit,  
 152        et versum gremio confovet ille pio.  
 153       Ergo, nec ulterius saevi dominantur amores,  
 154        ne capiant animum vincula prima meum :  
 155       obscaenae volucres, Stygius cruor, improbus horror  
 156        quiique Acheronteis vela dedistis aquis,  
 157       vos furiae, noctisque duces, diraeque bimembres,  
 158        quaeque lates vitiis infera turba feris,  
 159       noscite purpureas Charites. En Christea signa  
 160        tensa micant. Digno vertite terga metu.  
 161       Vos caput infandum pudibundo abscondite leto  
 162        vertite et ultrices vestra per ora faces.  
 163       Gloria sit trino per saecula cuncta potenti,  
 164        laus, honor, et summum quod fuit ante decus.

## ELEGIA SECUNDA IN SECUNDUM POENITENTIAE PSALMUM.

E\_2      v.1      Felices animae quas non malus abstulit error  
 2        aut quibus a justo culpa remissa deo.  
 3        Quarum non rigido damnantur crimina verbo,  
 4        sed charis in patro contegit illa sinu.  
 5        Hi se felices dicant, quos vincula leti  
 6        nulla premunt, quos non improba cura terit.  
 7        Quos non pectus inops cruciat nec torquet imago  
 8        pallida, nec vermi subjacere truci  
 9        felix, cui judex veteres non imputat actus,  
 10       conditor et pulsum non jubet esse reum.  
 11       Felix qui purae veniunt in pocula flammiae,  
 12       nec sua sunt ullo corda reperta dolo.  
 13       Corde pii domini qui clara preconia versat  
 14       simpliciterque suum personat ore deum.  
 15       Nec meritas grates siluit, nec mystica dona,  
 16       laudat et in gestis numina sancta suis.  
 17       At miser in terram dum caeco impellor amore,  
 18       immemor officio cogor abesse meo.  
 19       Suspicer aethereas nequeo vix cernuus arces,  
 20       vixque mihi hac oculos tollere nocte licet.  
 21       Oblitusque hostes servataque sanguine tempa,  
 22       excubias vigiles quas pius egit amor,  
 23       spirantemque rotam, furias, fluctusque paventes,

24            quodque latus campis pertulit unda novis,  
 25        atque Arabum silvas, exusta que solibus arva,  
 26        cum bene marmoreas ebibit ultus aquas,  
 27        ignotasque dapes, totumque in prandia caelum,  
 28        quaeque sub obduro cortice vera latent,  
 29        subticui sterilis divinaque pignora lusi.  
 30        Nec mea mens notum tollit honore Deum.  
 31        Utque sit hoc pejus, sub corde latentia monstra,  
 32        criminis et maculas, et rea vota tuli.  
 33        Jusserat altitonans ruituram ostendere lepram,  
 34        nec decuit medicas ulla latere manus.  
 35        Sed tacui, virusque latens, vulnusque repressi,  
 36        ulcera sic clausis plus nocuere viis.  
 37        Sic vetus occulto durata est plaga veneno.  
 38        Seque meo serpens pectore cancer alit.  
 39        Frigescit virtus, nec habet praecordia sanguis.  
 40        Et frustrata suis motibus ossa jacent.  
 41        Non mihi jam voces, non guttura rauca querellis,  
 42        clamanti tota quid valuere die.  
 43        Nec secus ac tristes vicinae mortis olores  
 44        tempore funereis indoluere modis,  
 45        vellem funestas animo depellere curas,  
 46        atque sitim lacrimis exsatiare meis.  
 47        Sed caro, vel sanguis, vel lumina clausa sopore,  
 48        vel furor in medio comprimit ora sono.  
 49        Contemptusque potens, temerataque pulvere sacra  
 50        exagitant casu pectora torta suo.  
 51        Namque gravis mihi facta manus, quam condidit orbem,  
 52        stat super, et justo me premit illa metu.  
 53        Vespere cum seros radios sol aureus urget,  
 54        cum levat evicto lumina prima solo.  
 55        Occurrunt torvi lemures mentemque fatigant,  
 56        heu quianam dominum deserit illa suum.  
 57        Occurrunt culpae, cruciataque viscera nigro  
 58        igne, et Lethaeis triste minantur aquis.  
 59        Jam facies mentis vastam dedit alta ruinam,  
 60        concidit, et vivum perdidit illa decus.  
 61        Spiritus et fatuus nullo solatur amore  
 62        ulcera, dum lambens nil nisi virus edit.  
 63        Infixos tribulos et acuta cuspide vepres  
 64        perpetior vanis capus ab illecebris.  
 65        Sic mecum confusus agor, gyrisque rotisque  
 66        volvor in obscuro nomen inane toro.  
 67        Dumque meis oculis species ultioris inhaeret,  
 68        spinaque sub venis fixa peregit opus.  
 69        Dumque ferox anguis circum praecordia serpit,  
 70        ostenduntque suos fusa venena dolos.  
 71        Tantum opus est portam flammea aperuisse micanti,  
 72        occipio miserum tollere faece caput.  
 73        Nunc patrias contemplor opes, promissa petenti  
 74        sideraque, et pravos astra rotare dies.  
 75        Aeternas poenas sceleri, vel praemia vitae  
 76        perpetua, et passum corda vocare deum.  
 77        Praesentemque suis, oblitum et crimina patrem,  
 78        ad se conversis nulla negare viris.  
 79        Extemplo arripior sursum, disjectaque terrae

80        vincla tero, et fractis cassibus alter ego.  
 81        Agnosco medicum, detectaque viscera pando,  
 82        nec fugiunt medicas ulcera nostra manus.  
 83        Quamquam animus meminisse horret, vocemque refugit  
 84        ostendo culpae monstra pudenda meae.  
 85        Pectoris evomui virus, cordisque venenum,  
 86        polliceor vinctas in bona jussa manus.  
 87        Seu miserum jubeas Scythicos sorbere dracones,  
 88        sic volo : dat dulcem succus amarus opem.  
 89        Nec causas dico sceleri, fortemve tyrannum  
 90        invictum laqueis me rapuisse suis.  
 91        Non stellas genito infestas, non tristia signa,  
 92        non queror arbitrium fata tulisse meum.  
 93        Me ipsum quem feci, non mundum aut sidera damno,  
 94        in duce, si cuperem vincere, victor eram.  
 95        Sed miser, et sitiens, potu seductus amaro,  
 96        praeposui nitido Tartara maesta polo.  
 97        Prodidit et patrium Stygio se subdere regi  
 98        heu mea mens votis eligit acta suis.  
 99        Non nego, non fugio, nam quae mihi Pergama prosint ?  
 100        A domino tutus quis queat esse locus ?  
 101        Quis feret ingrato tutamina firma nocenti  
 102        quem sequar ? In dominum quis dabit arma meum ?  
 103        Ad te configlio, genitor, tua numina posco,  
 104        tu miserae mentis solvere vincla potes.  
 105        Tu potes, atque soles peccata resolute verbo  
 106        caecaque cum radiis antra ferire piis.  
 107        Tu patrium limem, maternaque pocula verso  
 108        das mihi, sit vero gloria summa patri.  
 109        Tuque duces leti, Phlegetontiadasque sorores,  
 110        das pius a lacrimis vertere terga meis.  
 111        Impietas jam nostra ruit, furiaeque laborque,  
 112        excussumque meo pectore noctis onus  
 113        hoc erat in primis, quod te pia turba petebat,  
 114        optabantque oculis atra videre suis.  
 115        Has mundata cohors lymphis et sanguine felix  
 116        non importuno tempore poschet opes.  
 117        Dum Zephyrus, dum blanda dies, cum caesa resurgunt  
 118        semina, cum victo frigore vernat ager ;  
 119        cum Deus in castris, et adhuc placabilis ira,  
 120        et micat ad valvas flamma repulsa reas.  
 121        Nunc locus est, rectorque vocat, nunc aequora parent,  
 122        dulcis et a dextris puppibus aura volat.  
 123        Sed cum dura silex flamas immota videbit,  
 124        turbidus horrisonas volvet et Eurus aquas,  
 125        cum vastae undarum facies, et vortice nigro  
 126        obruet indomitum corda superba salum,  
 127        non oleum, non mella patris, fontemque perennem  
 128        inveniet factis prodita turba suis.  
 129        Non Charites dulces, non magni pignora regis  
 130        ebria mens somno sperat habenda suo.  
 131        Exsul ab amplexu veri pudibunda mariti  
 132        et procul aethereo concidet illa toro.  
 133        Desertamque graves Furiae Stygiusque satelles  
 134        nitentur rostris dilacerare feris.  
 135        At pius omnipotens summa protector, ab arce

136               sta mihi, nec servum despice, Magne, tuum.  
 137        Respice, Magne, tuum qui condidit omnia natum,  
 138               ex nostra verum virgine corpus habet  
 139               pro misero advigilat Christus, miserumque tuetur,  
 140               et cadit a passo funus et umbra Deo.  
 141        Emeruit servare suos, cum sanguine fuso  
 142               stravit Tartareos ad crucis arma duces.  
 143        Tu pater, et pastor, quo spem concepimus uno  
 144               teque decet natos velle juvare tuos.  
 145        Tu misero tutamen ades, patrisque vocantem  
 146               auxilium gremio suscipis alte tuo.  
 147        Das veniam flenti, vastataque regna reformas,  
 148               ne tibi fidentem desere pastor ovem.  
 149        Circumstat me flamma, crux, funusque, furorque,  
 150               surgit et in nostros vasta procella sinus.  
 151        Ne dextram constringe tuam, sed ab hoste superbo  
 152               eripe me, en tactum non feret ille tuum.  
 153        Diffugiet pavor umbriferens, et turba luporum,  
 154               custodiesque meum conditor ipse latus.  
 155        Terrificans Ditem et Lemures mea gloria princeps  
 156               emicat, excubias et mihi ductor agit.  
 157        Sic effatus eram. Dextra mihi fulgur ab aure  
 158               intonat, et gratus sic ait ore Deus :  
 159        "Sum Pater, et patiens, nec crimina prisca recordor  
 160               si redis ad gremium, prodige nate, pium.  
 161        Si cupis, ipse adsum, primo qui firmus amore  
 162               effundam labris mella priora tuis.  
 163        En tibi vera meo dabitur sapientia dono.  
 164               Verum iter et claros conferet illa dies  
 165               instruet illa tuos sensus, animumque, reclusos  
 166               ut caelos recta possis adire via.  
 167        Et quacumque voles gressus firmare decentes,  
 168               haec erit haec oculis usque secuta suis.  
 169        Nec te Argiva phalanx, Babylonia nec barbara laedet  
 170               nec poterunt saevi te lacerare lupi.  
 171        Namque adero, carumque geres in pectore numen,  
 172               sta precor, et socio non moveare deo.  
 173        Ergo homines recti superis attendite flammis,  
 174               quos Deus omnipotens ad sua sceptralia vocat.  
 175        Os homini sublime datur caelumque videre,  
 176               ne ferte ut primum bestia caeca caput.  
 177        Ergo agite erectos, ad sidera tollite vultus :  
 178               spiritus ad summas altus anhelat opes.  
 179        Qui sapitis, patriam generoso quaerite vultu.  
 180        Qui sapitis, veras quaerite divitias.  
 181        Degener est animus, cui tantum terrea cordi :  
 182               terrena insipidis sunt magis apta feris.  
 183        Haec fuge, quisquis ades, ne te malus auferat ignis.  
 184        Effuge, quae mediis monstra videntur aquis.  
 185        Hinc te Scylla rapax, hinc insatiata Charybdis  
 186               postulat, ad dextram littora verte ratem.  
 187        Ah, teneram vitam scopolis ne perde cruentis,  
 188               nulla necis notum bellua legit iter.  
 189        Ah miser, et laqueo capieris prodite viso,  
 190               et fugient damnum caeca jumenta suum ?  
 191        Respice Christiferis devictum viribus Orcum,

192                nudaque Tartareo terga dedisse duces.  
 193                Suspice magnificum praestantia numina regnum,  
 194                et pretium puri pectoris illa dari.  
 195                Aspice jam et Christum qui tam pia brachia tendit,  
 196                dulcis ad amplexu te vocat ipse suos.  
 197                Non amor est, timeas, sceptro ne pulsus ab alto  
 198                exsul ad infernam praecipitere domum.  
 199                Est pius, est verax, non est onerosus amanti.  
 200                Dumque locus medico, vulnera nostra fovet.  
 201                At solet hic vinculis animos frenare superbos,  
 202                duraque sub pedibus rumpere colla suis.  
 203                Verberibus, ferula, dirisque arcere lupatis,  
 204                ora fera, ut melior, justior, ille solet.  
 205                Fortis in adversos scelerata expellere monstra  
 206                novit, et aeterno est liber amore furor.  
 207                Ecce Philistaeos dirissima corda gigantas  
 208                Persas Chaldaeos fregit et Antiochos.  
 209                Imperio Saulem indomitum, saevumque Iheucum,  
 210                Nabathique reas colligat ille manus.  
 211                Achabicaque domum, rumpentem et foedere Zambrum,  
 212                quid plus, Tartareos percutit ille duces.  
 213                Non impune oculis Deus adspicit omnia justis,  
 214                exspectant animos multa flagella reos.  
 215                Hinc implet varii diversa volumina morbi ;  
 216                hinc bella, hinc ventis aspera saevit hiems.  
 217                Hinc multi et subiti casus, curaeque nefandae,  
 218                hinc misera assiduus qui premit ossa labor.  
 219                Hinc falsi fratres, et iniquis improba venis  
 220                turba furens, hinc nos carnis adurit amor.  
 221                Hinc mundus, tupsique Satan, hinc turbida nocte  
 222                corda vehunt, votis hostica vota suis."  
 223                Circumstant nos flamma rigens, Stygique decembres  
 224                et quicquid circum cernimus, hostis adest.  
 225                Deme Deum, tanto qui non superatur ab hoste,  
 226                hunc extra quisquis te vocat, hostis erit.  
 227                Hunc quaere : hic numquam vana spe ludit amantem.  
 228                Hostibus a cunctis hoc duce tutus eris.  
 229                Fide Deo, et monstris non es superabilis ullis.  
 230                Opponet summas in tua bella manus.  
 231                Fide Deo, vincesque tuos clarissimus hostes.  
 232                Nec quibus evincat te furor arma tenet.  
 233                Hac spe surge potens, Ditemque et Tartara vinces,  
 234                spes Domini cunctos territat orbe metus.  
 235                Eia igitur Domino celebremus gaudia summo.  
 236                Extollatque pium mens animosa Deum.  
 237                Ille jubar patrium venis effundit apertis,  
 238                dat charite servis robur et arma suis.  
 239                Ille movet, motosque juvat, rectique tenaces  
 240                sustinet, et victis nos beat ille malis.  
 241                Huic sit honor, summumque decus, et gloria vitae,  
 242                cuius opes hominum dicere lingua nequit.  
 243                Et Pater, et Natus, divini et Numen amoris,  
 244                sint, vivant, unus tempus in omne Deus.

### ELEGIA TERTIA IN TERTIUM POENITENTIAE PSALMUM.

E\_3      v.1      Alme Deus miserum stricto ne prede furore,  
 2                nec tua letifera corripe membra manu.  
 3                Vindicis iratum valeat quis ferre flagellum,  
 4                si jacis in lapsos tela severa viros ?  
 5                Si caput hoc jubeas trifidis involvere flammis,  
 6                te contra tutum quis putet esse locum ?  
 7                Ah pater, est animo non tanta superbia nostro.  
 8                Diffitear poenas ut meruisse graves.  
 9                Sed pietas, sed summus amor, nomenque paternum,  
 10                deflectant oculos in mea corda tuos.  
 11                Ah ! pereo, succurre, Pater ! Fixasque sagittas  
 12                a nostro et duram pectore tolle manum.  
 13                Hei mihi, cur tenso mea pectora percutis arcu ?  
 14                Et toto inflictum robore vulnus agis ?  
 15                Si pereo, perit ille tuus, quem sanguine sancto  
 16                lavit et aetherea maximus emptor aqua.  
 17                Respice me, et versum luci vitaeque reforma.  
 18                Tam rapido servum rex feris ense tuum ?  
 19                Ecce cruentatos turpataque lumina vultus,  
 20                nigraque morbosis ulcera visceribus,  
 21                nil sanum in carne est. Dirum penes omnia virus  
 22                tenditur, et venas tabida pestis habet.  
 23                Judicis aspectum timeo, pavidoque gelasco  
 24                pectore, nec caelum jam mihi ferre licet.  
 25                Dumque meos habitus, horrendaque crimina cerno,  
 26                heu mea Tartareos cerno per ossa lupos.  
 27                Non locus in pace est, misero, bellumque chaosque  
 28                exagitat furis improba corda malis.  
 29                Hoc mea gesta caput leto mersere profundo  
 30                et sceleris culpas pondera magna fero.  
 31                Opprimor, excrucior, curisque exuror acerbis,  
 32                dum video quantum dat mihi crimen onus.  
 33                Hinc furor, hinc Phlegethon taeterrima monstra fatigant,  
 34                hinc caeli admissis perdita regna malis  
 35                spretus et omnipotens, et numina laesa minantur,  
 36                totque reus poenas quot bona perdit habet.  
 37                Uror et insipiens, quod, limina cara parentis  
 38                dum fugio, hostiles vertor ad insidias.  
 39                Sic putruit mihi sanguis iners, et rupta cicatrix  
 40                irridet medicas non valitura manus.  
 41                Nam saepe ad vomitum rediens, ludensque magistro,  
 42                non sino inexpertum vulneris esse locum  
 43                sic miser et vitae gnatis invitus honoris  
 44                amens Tartareo sum data praeda duci.  
 45                Curvus et in sordes votis confusus amaris  
 46                ducor inops, rectum nec juvat ire gradum.  
 47                Nec mihi laeta dies, nec vento ad vela secundo  
 48                erigor, ante oculos sunt bona nulla meos.  
 49                Prospera nulla placent, sed me male singula terrent

50            tristis et infernas cogor adire vias.  
 51        Funera maestus amo, non hostica tela petitus  
 52            immoror, o culpae nox furiosa meae.  
 53        Infera confregit debiles mihi dextera lumbos.  
 54            Jamque dare ad vitam semina nulla queunt.  
 55        Jam caro fracta jacet, duroque illusa sopore  
 56            languet, et in morbos vertitur acta suos.  
 57        Languet, et urbe procul vivo deserta marito  
 58            nescit ab hac caecos tollere faece sinus.  
 59        Errat et in silvis vacuis nec lumina sentit  
 60            nec fugit amplexus, hostis acerbe, tuos.  
 61        Afflictus tribulis jacui, somnoque ligatus  
 62            sternor humi, ut victum convenit esse reum.  
 63        Praecipitesque ausus et jam sua corda pavescens,  
 64            se mea mens gemitu territat ipsa suo.  
 65        Ac fremitu ingenti, patrio compulsa dolore,  
 66            suscitat ut natum torva leaena suum.  
 67        Non secus abjectos animos mentemque sepultant  
 68            contendo ad laetos jam revocare dies.  
 69        Ne quicquam exclamo, sedet alto pectore vulnus  
 70            usque opifer binam det mihi summus opem.  
 71        O princeps verum vitae caput, aspice mentem.  
 72            Coram te lapsus non negat ipsa suos  
 73        ad Dominum rediisse optat, sensitque vocari  
 74            et cupid ad dulcem sera venire patrem.  
 75        Opto nihil, formido nihil, mihi fixus inhaeret  
 76            Conditor : est votis unicus ille meis.  
 77        Jam semel expertus puerilia corporis arma  
 78            agnosco magni robora firma Dei.  
 79        Illecebrae carnis pronae mala gaudia terrae,  
 80            hei mihi, post damnum sunt mihi nota meum.  
 81        Tu superes, qui prisca novas, reparasque resecta  
 82            culmina et a presso vertice tollis onus ;  
 83        tu superes, quem corde petat, qui dura tremiscit  
 84            Tartara, qui ad saevam non velit ire famem.  
 85        Ergo optatus ades. Nihil est quo justa recuses  
 86            vota sequi occisus per mea facta Deus.  
 87        Non tibi inauditos dat nostra licentia planctus,  
 88            cernis prostratos quos facis ante viros.  
 89        Ante mare et terras et quod tegit omnia caelum  
 90            vidisti ingratis in tua dona reos.  
 91        Vidisti amplexas furias, charitenque repulsam,  
 92            et quaecumque petat me ferus ulti habitat.  
 93        Sed simul et Christi meritum, palmamque, ducemque  
 94            cernebas victis ferre tropaea malis.  
 95        Hoc spem nervosam tribuit, quocumque feramur  
 96            possumus in passo vincere monstra Deo.  
 97        Illa meis oculis facies morientis inhaeret,  
 98            quae vitam socios fecit habere suos.  
 99        Insurgent Furiae vel Tartara cuncta tumescant,  
 100            in Christo victor qui velit, esse potest.  
 101        Ergo pium gremium cupio, speque alta tenaci  
 102            dona peto, quamquam non ea promerui :  
 103        promeruit Christus, vicit leo : perfide Daemon  
 104            me fuge, et adversas, improbe, tolle manus.  
 105        Tuque meum votum ne desere, summe Creator.

106                Suscipe me : genito quis negete ora suo ?  
 107                Suscipe, nec pigeat voces audire vocantis  
 108                quem summa huc missus quaerit ab arce Deus.  
 109                Cuncta vides, versumque vides, nec despice versum :  
 110                quos, nisi quos versos videris emptor amas ?  
 111                Ecce hostes, alasque truces et castra nocentum,  
 112                ah perii, optatam des nisi victor opem.  
 113                Ah perii, frigetque animus. Jam displicet hostis,  
 114                sed quae prava puto, nil minus illa sequor.  
 115                Quo vocat et ratio, deterret vana libido  
 116                sic me distractum terra polusque ferunt ;  
 117                hinc venit ut vasto turbatum sanguinis aestu  
 118                cor miserum curis fluctuet in variis.  
 119                Et mea me virtus cunctantem et multa paventem  
 120                deserat. Heu proprium nec mihi lumen adest.  
 121                Lux oculis nativa meis oppressa sopore  
 122                nubilat, et missam non bene sentit opem.  
 123                Nec modo quae flatu sunt discernenda superno  
 124                non capit, humanum sed rationis iter.  
 125                Infelix nimium, cui robora nulla supersunt  
 126                ut queat abjecta tollere pectus humo.  
 127                Infelix, cui flamma datur, sed victa tenebris  
 128                scintillam media vix bene servat aqua.  
 129                Praesidioque carens ipsis infensus amicis  
 130                opprimor, atque meas proximus urit opes.  
 131                Vicinique graves oculos invertere temptant,  
 132                inque meas vires percita tela movent.  
 133                Excubiae fugiunt agiles, custosque recedit,  
 134                aut silet, et circum mortis imago volat.  
 135                Sic procul a caxtris ut apertum Numinis hostem  
 136                me ferit innumeris vox inimica modis.  
 137                Vim faciunt, contraque instant, stimulisque retorquent  
 138                qui cupiunt animae vincula longa meae.  
 139                Suppicia atque animo quaerunt quae tristia nostro  
 140                nil nisi sunt vanos ora locuta jocos.  
 141                Ad nugas tantum sapiunt, umbrosaque signis  
 142                monstra colunt, tensis turba cavenda dolis.  
 143                Nam zephyris dira arte latent, flatusque secundos  
 144                corrumpunt, pestem naribus objiciunt.  
 145                Praestigiis multis, namque his via nota nocendi,  
 146                curant Phoebeos vertere in antra dies.  
 147                Nunque minis rabidis per numina laesa trementem  
 148                dejiciunt, crustis nunc necis antra tegunt.  
 149                Blanditiis nunc corde movent, nunc tempora firmant  
 150                longa dari, aeternas nunc pietatis opes.  
 151                Ast ego non alio cupiens florere magistro,  
 152                quam qui me flammis vexit ad astra suis.  
 153                Auribus occlusis gelidae mala carmina noctis  
 154                expello, ut nullum qui capit aure sonum.  
 155                Verbaque continui pressis venientia labris  
 156                ad saeva et patiens murmura murus eram.  
 157                Sic aures, sic ora tuli, non tacta profanis  
 158                pulsibus, ac ullo non capienda dolo.  
 159                Sic hostem vici fugiens, genera alta triumphi  
 160                quis neget ? Est nostrum vincere monstra pati.  
 161                Ardua vincenti non est via, ferre laborem

162           non piget, en flammis tersa metalla micant.  
 163           Omnia perpetiar nulla superabilis arte,  
 164           dum tua lux animo fulserit una meo.  
 165           Magnus enim Deus es quo spem concepimus altam.  
 166           Spes mihi, nectareos te duce nosse cibos,  
 167           spes mihi, qui facies victo me surgere leto.  
 168           Clara de irriso ferre tropaea dolo.  
 169           Nec timeo verum vana spe ludat amantem,  
 170           quem sequor optatus per mea vota Deus.  
 171           Fallere nescit amor, cui mens mea credidit uni,  
 172           spes mea de tuto non ruet icta loco.  
 173           Audiet Omnipotens qui nullo fallitur, ullum  
 174           nec fallit, Charites fundit et innocuas.  
 175           Audiet usque meos gemitus vocemque profundam  
 176           nec temnet justas justior ille preces.  
 177           Quin audire optat, qui se cupit ante vocari,  
 178           huic pia sunt magnae pectora deliciae.  
 179           Laetus ad humanas flectit sua nomina voces,  
 180           nec negat ingratias viscera sancta viris.  
 181           Agnoscitque humiles facies, germanaque fassus  
 182           pignora, non fletum despicit ille pium.  
 183           Quod promisit erit. Decreta resolvere non est  
 184           suetus amans, verbo perstat et ille suo.  
 185           Sic ego non duros timeam perterritus hostes,  
 186           excubias vigiles cui Deus unus agit.  
 187           Non terrae laevos ignes, non frigore leti  
 188           expaveam, aut variis monstra superba minis.  
 189           Quicquid erit, jam me nec sperent Tartara civem,  
 190           gaudia non atris unguibus ulla feram.  
 191           Stat Deus insufflans vires, firmatque vigorem  
 192           meque habilem flammis sustinet ille suis.  
 193           At quia jam nimium mores valuere nefandi,  
 194           nec veniunt lento summa teneda gradu.  
 195           Dum mutare pedes cupio, paulumque moventur,  
 196           illudit nostrum non pia turba caput.  
 197           Affectus teneros damnant, devotaque Diti  
 198           pectorata Tartareae jam subiisse vias.  
 199           Nec radiis liquisse locum fata aspera dicunt,  
 200           in caelis vivam nec superesse domum.  
 201           Utque sciens culpam Stygio damnaverit Orco  
 202           spe sine jam lapsus intonat illa meos.  
 203           Ac nec fata timens nec iniquae murmura vocis,  
 204           nil dubitat magno mens animata Deo.  
 205           Scilicet infernae delusus imagine noctis  
 206           aggregiar summo bella movere bono ?  
 207           Contemnam pietatis opes, caritemque vocantem  
 208           ne quicquam lapsos credimus ante viros ?  
 209           Quin age Taenarias fauces sub nomine Christi  
 210           fas erit atque canem vincere tergeminum.  
 211           Servator nomen Christo est. Quem servet et ille ?  
 212           Quem nisi quem victum perfidus hostis habet ?  
 213           Hoc verum est. Vivo dubitet quis credere verbo ?  
 214           Jurat per vivum firma futura caput.  
 215           Si me paeniteat sceleris, vitaeque superbae,  
 216           de spinis pulchram quis neget esse rosam ?  
 217           Paenitet erroris. Et per mihi tradita mystam

218                supplicia, et dominum vinctus adibo meum.  
 219        Seu velit hoc corpus trinis cruciare flagellis,  
 220                falsaque mortiferas mittere in ora faces.  
 221        Seu miseros sensus bibito torquere cruore,  
 222                vel dare sub nostris Tartara visa malis.  
 223        Pepetiar. Subeamque lubens, quaecumque paratus  
 224                dura pati, domini sunt ea dona pii.  
 225        Quin cum caesus ero, plus me meruisse putabo,  
 226                qui videam factis numina laesa meis.  
 227        Nec dixisse satis fuerit, percussa dolore  
 228                pectora non laetos sunt habitura dies :  
 229                semper et ante oculos venient mihi crimina maestos  
 230                et dolor, heu, culpas coget adesse meas.  
 231        Ut bene cum norim quae sint mea vulnera liber,  
 232                agnoscam magni numen et arma Dei.  
 233        Nec studiis terrae lapsus vincar ve pudore,  
 234                nec mea lugenti monstra tacenda mihi.  
 235        Pandam aditus omnes sceleris, culpaeque recessus.  
 236                Nec sunt de vitiis ulla neganda meis.  
 237        Tuncque decus Charitis, medico nova gloria summo,  
 238                tollentique deo crimina surget honos.  
 239        Tunc grates hymnosque ferens excelsa Tonantis  
 240                gesta canam, et plausus, maxime Nate, tuos.  
 241        Ast Acherontei fratres, Stygiaeque sorores  
 242                ingruet in nostrum pestis acerba latus.  
 243        Ac livore gravi, solitoque excita furore  
 244                me feriet gladiis perfida turba novis.  
 245        Mota odiis, nunc igne palam, nunc arte veneni  
 246                quae saniem falsis occulit illecebris,  
 247                contra aderit, nostramque petens invertere lucem  
 248                gestiet ad tenebras me revocare suas.  
 249        Lethaeisque undis somnosque assueta juventus  
 250                quae mala pro captis dat fugienda bonis,  
 251                detrahit ignarae menti, velut atra cicutae  
 252                pocula Jessaeis sorpserit illa favis.  
 253        Credula passeribus, caudisque illecta luporum  
 254                dicit, vel magicis pectora nostra sonis ?  
 255        Irridetque meas veneres, quae terrea curant  
 256                gaudiaque et gustus linquere corporeos.  
 257        Jam vero, ut lignum, colaphos, letumque crucemque  
 258                audit delicias mi superesse alias,  
 259                audit ut a plagis vivos me haurire liquores,  
 260                obstupet, et tumidis ebria fertur aquis.  
 261        Hinc bellum crudele movet, hinc instruit arcus,  
 262                hinc ferit et vitam lingua canina meam.  
 263        Sed succurre tegens, nec me, pater alme, relinquas.  
 264                Optime, nec servum desere, magne, tuum.  
 265        Castra inimica vides, armataque monstra venenis,  
 266                in me ni faveas horrida surget hiems.  
 267        Ne discede, parens, nihil est quod possumus omnes.  
 268                Ni tua nos virtus adjuvet et foveat.  
 269        Nil nisi nubiferam cernent mea lumina noctem,  
 270                si tua lux oculis non favet alta meis.  
 271        Quis sine te tantos veniat victurus in hostes,  
 272                o decus, o voti certa corona pii ?  
 273        Da, precor, auxilium firmasque in bella cohortes

274 pro cunctis unus tela salutis habens.  
 275 Ne mihi cui Charites, maternaque pocula fundis,  
 276 deficiant flammea pignora tanta tuae.  
 277 Sitque unum trinumque decus per saecula cuncta  
 278 Regi, qui verbo condidit astra suo.  
 279 Aeternusque Pater, pariter Natusque, bonumque  
 280 Pneuma micet, magnus nunc velut ante Deus.

### ELEGIA QUARTA IN QUARTUM POENITENTIAE PSALMUM.

E\_4 v.1 O princeps hominum divumque, o maxime rector  
 2 cui rugidum versis non placet esse viris,  
 3 orantis miserere mei, gremioque paterno  
 4 suscipe, quem illapsu numinis ante moves.  
 5 Vis dare justa deus, sed vis dare justa vocatus,  
 6 tuque prior misso lumine corda vocas.  
 7 En tibi, jamque tuo surgunt mea pectora verbo,  
 8 ne jam Lethaeis pressa ferantur aquis.  
 9 Suscipe, et Ebronico nigrantes pulvere vultus  
 10 ne fuge, sunt Domino multa ferenda pio.  
 11 Omnia fert charitas patiens, nullumque perire  
 12 vis Deus, haec regni summa corona tui.  
 13 Scilicet in Solymo pateris rex vulnera campo,  
 14 et crux Tartareos conterit alma duces,  
 15 scilicet humanas divino sanguine culpas  
 16 abluis, et victo funere victor ovas,  
 17 ut semel assertus Stygio parere tyranno  
 18 cogar, et infernis sim data praeda lupis.  
 19 Quin age, jam a servo furiosos excute manes,  
 20 rumpe potens empti vincla superba viri.  
 21 Haec pietas est magna Patris, servare nocentem,  
 22 numinaque ad fletus flectere sancta pios.  
 23 Haec pietas, servare reos, justoque vocare  
 24 non venit aetherea maximus empor ope.  
 25 Jam mihi rex flatu venias ad vela secundo,  
 26 quo silet in medio vasta procella salo  
 27 quo tua lux radio tenebras irrumpit Avernas,  
 28 hoc me de culpis eripe, magne, meis.  
 29 Ut magna est bonitas ligno occubuisse potentem,  
 30 est pietas lapsos magna levare viros.  
 31 O Deus omnipotens nostro miseresce labori,  
 32 et solito noctem lumine vince meam.  
 33 Tu fons quo sceleris maculae terguntur iniquae,  
 34 purificans populos quo datur unda reos.  
 35 Tu Charitis lymphas, et flumina mixta cruore  
 36 das quibus aeternas ebibat unctus aquas.  
 37 Me quoque ab interitu revoca, pulsisque tenebris  
 38 da pius aethereum cernere posse diem.  
 39 Da mea corda tuens vitiis exsurgere pulsis,

40            mundaque munifico templa futura Deo.  
 41        Non ego sum omnino quem non pia numina tangat,  
 42               ceu procul hinc summum qui putat esse bonum.  
 43        Agnosco lapsus, vitium, culpamque scelusque,  
 44               nec nego me Dominum deseruisse meum.  
 45        Proh dolor, heu nostrae non est opus indice culpae  
 46               me fateor justam promeruisse necem.  
 47        In me vermis adest, actus qui accusat iniquos,  
 48               me miserum saevis morsibus excrucians.  
 49        In me Tartareae fauces, et perfidus hostis,  
 50               convictum longi criminis arma tenent.  
 51        Ipse ego disceptus miseros crudeliter artus  
 52               injicio motas in mea membra manus,  
 53               supplicioque gravi devota cadavera morti  
 54               sunt furiis oculos usque secuta meos.  
 55        Et nisi mittis opem, perii : miserere vocantis.  
 56               Ob mea num princeps crimina surdus eris ?  
 57        Te solum laesi Dominum, quid pestifer ulti  
 58               a me placato postulet ille Deo.  
 59        Tu veniam concede, parens. Fera monstra silebunt.  
 60               An precor an furias unicus auctor amat ?  
 61        Tu veniam, quid lora petis, quid tangeris ira ?  
 62               Quid ve meum memori pectore crimen habes ?  
 63        Terrea vasa vides, et quae tu feceris ultro  
 64               corpora, per sensus exagitanda suos.  
 65        Angelicos olim cuneos in perdita verti  
 66               monstra vides, oculos et violasse tuos.  
 67        Quid mea miraris nigrantibus exta mamillis ?  
 68               Quid mirum luteam sic cecidisse domum ?  
 69        Erranti veniam si des, tua gloria princeps,  
 70               ac mea si tollas crimina justus eris.  
 71        Non licet hic longis Adamos Evasque querellis  
 72               rumpere. Facto homini nil nocet Eva Deo.  
 73        Quorsum opus est nostros censere strictius actus,  
 74               unus pro cunctis debita solvis amans.  
 75        Hoc erat illa crucis cum te pia ligna tenebant,  
 76               pendentem clavis Conditor alme feris,  
 77               ut cruce confixus veteres affigeret angues  
 78               atque Deus morbis pharmaca plena daret,  
 79               hoc ipsum adflatu divini pneumatis actus  
 80               plurimus Esaias vaticinatus erat.  
 81        Haec mihi non ficto jurat Deus altus amore,  
 82               sic data in occiso pignora certa Deo.  
 83        Sic justas Domini voces, sic foedera firmans  
 84               vinces judicii tela superba mali.  
 85        Ut cum sacrilego motu feriare loquentum,  
 86               quod tua promissam dextra negarit opem,  
 87               adducar venia salvus, justoque triumphans  
 88               sanguine dem veram numinis esse fidem.  
 89        Et qui me videat vitiis vixisse peremptis,  
 90               pangat ovans firmi nomen et arma Dei.  
 91        Nec noctem imponat soli, sed laudet oborto  
 92               lumine, quod victis fulserit hoc tenebris.  
 93        Non mea de saevis oriuntur vincula fatis,  
 94               durave nascenti lex dedit illa mihi.  
 95        Sed sinit Omnipotens ut, me subeunte tyrannum,

96            constet in electis me periisse malis.  
 97        Et nova cum Pharios absorbeat unda furores,  
 98            gloriaque et Domini sit rata fama pii.  
 99        Et jacet in Rubro rabies taeterrima ponto,  
 100            cum bonus hic vitium, te duce, vincit amor.  
 101        Sic vincis, vincesque atros clarissimus hostes,  
 102            o decus, o verae gloria justitiae.  
 103        Justitia est veniam misero praestare dolenti,  
 104            ante fores jactum nec repulisse virum,  
 105            ecce, fatebor enim, maculis et labe paternae  
 106            concipior carnis crimine natus homo.  
 107        Sic fero contractum terrenae faecis odorem,  
 108            plusque placent animo plus nocitura meo.  
 109        Contractamque super rabiem nova toxica fudi  
 110            percitus, et labris dupla venena reis.  
 111        Atrocesque angues, et quicquid militat Orco  
 112            exacui, gladiis ictus et ipse meis.  
 113        Sed tua me pietas ponto subduxit acerbo,  
 114            sustinet et flammis lumina sancta suis.  
 115        Illa graves oculos conatem attollere sursum  
 116            juvit, et excivit, admonet, instat, alit.  
 117        En rectum, verosque animos per saecula vivens  
 118            diligis, ac versos cernis ut innocuos.  
 119        Verus et ignipotens flammis manifesta supernis,  
 120            arcana immensi das mihi visa boni.  
 121        Per te occulta meo nota est sapientia cordi,  
 122            quod video fateor muneris esse tui.  
 123        Tu mihi quodcumque hoc flammea, qua concipit ignem,  
 124            mens mea, qua noctem despicit et tenebras,  
 125            o dulces Charites, sacris me aspergite lymphis,  
 126            ut Domini flatus et pia sacra feram.  
 127        Reddite deliciis, mentem date fontibus ora  
 128            spargite, et in nostrum cinnama sancta caput  
 129            mundabor placiturus hero, nivibusque venustis  
 130            candidior, laetus perforar ante Deum.  
 131        Tunc patrias arces, maternaque tecta revisam  
 132            et thalamum domini lotus adibo mei.  
 133        Sinceroque animo fusa spectabilis unda,  
 134            discam depulso numen amare metu.  
 135        Discam deposito fastu cognoscere matrem,  
 136            ac rutilans agni candida signa sequi.  
 137        Et candore pari superis Acheronta repellam,  
 138            magnaque mundantis gloria mundus ero.  
 139        Tunc mea mens verbi puris exercita flammis  
 140            audiet a sponso carmina laeta suo.  
 141        Laetitiam plaususque novos, et gaudia victor  
 142            tunc dabis, et paterae mella bibenda tuae.  
 143        Ter revoluta toro magno mea pectora nisu  
 144            surgent et pacem desuper ossa ferent.  
 145        At quia sic fragiles pelago jactamur in isto,  
 146            inficimusque alio pectora tersa luto,  
 147            nunc sensus, nunc saeva caro, daemonque, scelusque  
 148            eludunt technis percita corda suis,  
 149            si quando adversos sceleratus fugero ad hostes  
 150            oblitus dextrae munera tanta tuae,  
 151            averte a culpis oculos et vulnera Christi

152                respice, sunt plagis vera medella meis.  
 153        Respice amans passum caro pro corpore Christum  
 154                insons pro cunctis occidit ille reis.  
 155        Respice germanum miseris, fratremque nocentum,  
 156                hic datur in nostrum victima sancta scelus.  
 157        Respice turpatos et limo et sanguine crines,  
 158                ut feriat tenerum luma superba caput.  
 159        Ut plexus flagris, et arundine caesus acuta  
 160                sustinet haerentes sancta per ora canes.  
 161        En fixas clavis dextras, en cuspide fossum  
 162                stat latus et mixtam sanguine fundit aquam  
 163                ad rigidum vinclis ferrum pes tractus uterque est  
 164                dico iterum, en magni vulnera quina Dei,  
 165        haec tibi pro nobis ferimus, hoc pendimus aurum,  
 166                quo solvit socius debita nostra pius.  
 167        Quicumque arctoo veniens descendit ab axe,  
 168                seu Lybico medius quo calet igne polus,  
 169                seu per Gangeticos zephyros, Nabathaeaque regna  
 170                litora per Calpes seu bene vertat iter,  
 171                per Christum securus adest. En respice Christum.  
 172                Dat versis tutum sontibus ille locum  
 173                ne culpis attende meis. Sum pulvis, et umbra ;  
 174                saepe cado falsis lusus imaginibus.  
 175        Sed pro me Dominus dedit ipse piamina caesus,  
 176                pro misero magnus sustinet arma Deus.  
 177        Sustinet illudi probris, spinasque furentes  
 178                per caput et fixi cernimus ora Dei.  
 179        Huic judex volvas faciem ; ne crimina cernas,  
 180                jam mea per Dominum cuncta soluta meum.  
 181        Non addo meritum carnis, non corda reversa,  
 182                hoc charitas donum pangimus esse tuum.  
 183        Quid facerem vermis, ni me Deus ipse creasset,  
 184                an nihilum meritis posceret astra suis ?  
 185        Quid si non victimum vitiis, et clade parentis,  
 186                sanguine me et viva tergeret emptor aqua ?  
 187        Quid si post sacros latices ad prisca reversum  
 188                crimina, de exoso luet ille luto ?  
 189        Quid si non pulset foribus, moveatque juvetque,  
 190                ac misero praesens sit bonus atque favens ?  
 191        Pro me Christus adest, debentur et omnia Christo  
 192                hunc tibi, qui plus quam crimina solvat habes.  
 193        Perfossumque latus, plagasque ostendit amicas,  
 194                non me, sed natum respice, Magne, tuum.  
 195        Te precor a culpis oculos avertere nostris,  
 196                et verte in passi viscera sancta Dei.  
 197        His ignosce mihi, cunctosque absolve reatus,  
 198                dele ex mebranis crimina nostra tuis.  
 199        Hoc tibi in aethereo victor petit altus Olympo,  
 200                hoc genitrix Domini candida Virgo mei.  
 201        Hoc simul angelici poscunt tua castra manipli,  
 202                hoc et caelestis cetera turba chori.  
 203        Nec delere satis nostrae contagia culpae,  
 204                in reliquo serpens hostis iniquus adest.  
 205        Hostis adest, certatque meum sopire vigorem,  
 206                pugnat, ut ille meas pestifer urat opes.  
 207        Huic ni obsistis amans, instructaque tela retorques

208        hei mihi, sum rabidis praeda parata lupis.  
 209        Sed mihi cor mundum, qua perficis omnia rector,  
 210            voce crea, ut victis sensibus alta colat.  
 211        Ut male terrestri numquam rapiatur amore,  
 212            sed vero verbi pendeat ore tui.  
 213        Et rectum flatum recrea, tibi convenit uni  
 214            visceribus veras condere delicias.  
 215        Spiranti chariten quid non spirare licebit ?  
 216            Aur cur non flammas innovet ille suas ?  
 217        Ille, inquam, qui cuncta novat, terramque vetustam  
 218            eliquat, et caelos qua volet illa, facit.  
 219        En Deus, ecce Deus truncō suspensus ab alto  
 220            terrigenas miserōs ad sua regna vocat.  
 221        "Ne me de placido quo das bona gaudia vultu  
 222            projice, quem genitus quaerit ab arce tuus.  
 223        Ille vocat moriens, genitor ne pelle vocatum,  
 224            nonne precor tanti sit tuus ille tibi ?  
 225        Labitur in terram, duros ut passa labores  
 226            hic recreet verbo pectora nostra suo.  
 227        Ad mea conversi juvenes praecepta venite."  
 228        Hic ait, et gremio coepit utrosque pio.  
 229        Erige labentem, non projice : cernis apertos  
 230            ecce polos, magni morte fuisse Dei.  
 231        Scilicet hoc pretium Christi meruere labores,  
 232            lancea, crux, clavi, vulnera, vincla, mori.  
 233        Ut liceat nobis divinum cernere vultum  
 234            et pateant salvis regna paterna viris.  
 235        Ergo tuum sanctum flatum, qui pignora vitae  
 236            certa dedit, nostro pectore ne abstuleris.  
 237        Dignum erat hunc aedes hominis fugisse nefandi,  
 238            et turpem vitiis non habitare locum.  
 239        Sed tua me virtus somno caedente nitori  
 240            restituit, templo non moveare tuo.  
 241        Nec quia peccarim, me desere, nocte subacta  
 242            jam tua sunt votis numina sola meis.  
 243        Siste favens misero qui flumina sistere retro  
 244            verba jubes, verbi est hic venientis honos.  
 245        A laeva cecidit crimen, cecidere furores.  
 246            Jam capiunt charites viscera nostra tuas.  
 247        Nostra domus myrrham, Syriumque spirat amomum  
 248            huic charitas flatum non dabit ipsa suum ?  
 249        Quin potius te redde mihi, patremque, Deumque,  
 250            atque salutarem te mihi redde ducem.  
 251        Dulcia germani fecundaque gaudia Christi  
 252            redde mihi, et nati pignora sancta tui.  
 253        Redde ignem, vitaequē jubar, solitumque favorem,  
 254            et firma illapsi numinis illecebras.  
 255        Arcanum firma radium, spirataque servans  
 256            lumina, me in primo principe prima doce.  
 257        Hoc erit, hoc, veniam vero praestasse dolori,  
 258            si rata sunt verso dona priora viro.  
 259        Nec te paenitatis promissi in saecula doni,  
 260            summus honos verbi firma tulisse tui.  
 261        Sic alios salvus doceam tua dicere facta  
 262            ut per cuncta tuum saecula nomen eat.  
 263        Sic tua prostrato veniet pax inclyta leto.

264        Et pietas rectam sternet in astra viam.  
 265        Pulchra via pulchrae sternet sapientia paci,  
 266              ad finem nostros cum trahet illa gradus.  
 267        Sic tua per nostrum notes cet gloria crimen,  
 268              nec nitidum solem fumus et umbra prement.  
 269        Ac me servatum, victis vixisse tenebris,  
 270              extolle domini clara tropaea pii.  
 271        Sic tua miratus celebrabit robora mundus  
 272              agnosceretque suum turba sopita Deum.  
 273        Noscet opes patrias, et non exhausta medendo  
 274              flumina, quae effundit fonte perennis amor.  
 275        Impius aspiciens tanti monimenta decoris,  
 276              et mea magnifico vivere corda Deo.  
 277        Frustratumque nefas, et me jam crimine victo  
 278              inclyta facti hominis pangere gesta Dei.  
 279        Te votis exquiret amans, pulsoque tyranno  
 280              gestiet ad verum te properare ducem.  
 281        In speculum servatus ero, qui perditus umbra,  
 282              suspicior gremio prodigus ante tuo.  
 283        Liber in exemplum, Pharios exutus amores,  
 284              utilis a culpa dicar in orbe mea.  
 285        Ergo age me, ductor, furiosis eripe castris,  
 286              immanique animam pondere solve meam.  
 287        Sanguineoque duces, funestaque tela Gigantum  
 288              vince, ruit sanguis sanguine, morsque nece.  
 289        Eripe me, saevos ne sim ruiturus in hostes,  
 290              Omnipotens vitae duxque salusque meae.  
 291        Justitiamque tuam divino laeta triumpho  
 292              excusso e sensu pulvere lingua canet.  
 293        Centum ora et linguas ornabo in carmina centum,  
 294              dum memoro belli clara tropaea tui.  
 295        Justitiam laudare tuam quae desinet aetas ?  
 296              Aut tibi quae magno non vacet hora Deo ?  
 297        Laeta preces altas et amicos temperat hymnos  
 298              mens mea, cum justum concipit esse Deum.  
 299        Justus, qui gladio cherubin praefecit acuto,  
 300              servet ut a nocuis arva beata viris.  
 301        Justus, qui laetis homines expellit ab auris,  
 302              censem et hos curis monstra subire novis.  
 303        Justus, qui proprium subeunda ad crimina natum  
 304              misit, ut ereptos ducat in astra viros.  
 305        Justus, qui miseras insonti sanguine terras  
 306              mundat, et optatam pectore fundit opem.  
 307        Deerat adhuc mirum ventura in saecula nomen  
 308              justitiae, Infernas quod terat igne domos.  
 309        Hoc est, conversos gremio coepisse beanti,  
 310              a medico orantes nec pepulisse reos.  
 311        Justitia decus hoc, misero conferre dolenti  
 312              auxilium, exoso surgat ut ille luto.  
 313        Discite justitiam Domini, non despicit aegros,  
 314              sed juvat hos magna verus amicus ope.  
 315        Discite justitiam, serum non fallit amorem,  
 316              nec negat admotis ubera sancta viris.  
 317        Suscipit optantes ab iniquo surgere somno,  
 318              atque humiles magnum tollit ad imperium.  
 319        Non hoc ille hominum meritis, sed numinis ori,

320                hoc Deus et soli debuit ipse sibi.  
 321                Namque ut omnipotens, hic est simul optimus, omnem  
 322                justitiam summo convenit esse bono.  
 323                Injusta an virtus, quae sit bona ? Justior illa  
 324                quae melior, mancum quis putet esse deum ?  
 325                Justus enim Deus est. Ut non Deus esse relinquet,  
 326                non volet hic menti non pius esse piae.  
 327                Optima, sed juste, justa est sed sponte, voluntas  
 328                cunctipotens, volito sed manet illa Deo.  
 329                Deficit hic animus, summo qui percitus igne  
 330                quae sentit, nulla pandere voce potest.  
 331                Surgit ad auctoris radios, sed pressa tenebris  
 332                mens ruit, a crassis ebria facta cibis  
 333                sed nostras aperi fauces, linguaeque timentis  
 334                vincla tere, ad summi dona canenda Dei.  
 335                Tu sine nil magnum mens concipit ardua princeps,  
 336                labere sol flammis in mea labra tuis.  
 337                Sol alme, et bino rutilans qui surgis ab ortu,  
 338                scande cito ad medium luce micante diem.  
 339                Scande cito, et nigras radios effunde per auras.  
 340                Et mihi da laudem pangere posse tuam.  
 341                Carmina sunt dicenda, neget quis carmina soli,  
 342                horrida qui flammis circuit antra suis ?  
 343                Bellerophontreas divina in carmina Musas  
 344                nolo, sed angelicam sollicitare lyram.  
 345                Aeterno felix celebret te curia cantu  
 346                taque pium regem sidera cuncta vocent.  
 347                Terra canat, nullaeque obstent a pulvere nubes,  
 348                sed tollant natum noxque diesque deum.  
 349                Est pius, est justus, non est onerosus amanti.  
 350                Vino, oleo, medicus vulnera nostra fovet.  
 351                Peccarunt omnes, atque omnes lucis egentes  
 352                ad radios una sustulit emptor ope.  
 353                Sustulit, et sacro mundatas sanguine turbas  
 354                vult pius aethereis consociare choris.  
 355                Inde reos turpis captos meretricis amore  
 356                eripit, et membris colligat ille suis.  
 357                Sic bonus ejectos, et jam bis funera passos  
 358                restituit vitae mortuus ipse novae.  
 359                Omnia perdideram, saevo cum cesserat hosti  
 360                mens mea, nunc iterum liberat ille reum.  
 361                Nunc iterumque, iterumque levat, justoque reformat  
 362                o Deus, o verae gloria justitiae.  
 363                Quis queat huic regi grates dependere dignas,  
 364                servit hic, ut servis det sua regna suis.  
 365                Quis meritas laudes ? Iterumque, iterumque repulsus  
 366                advenit, et nostras excubat ante fores.  
 367                Dat tela, et chariten qua saevum sternimus hostem,  
 368                cumque duci videat nos dare terga, vocat.  
 369                Pulsat amans, firmusque movet, tandemque reversos  
 370                suscipit. O passi viscera sancta Dei.  
 371                Immemor et culpis parcens pia dextera nostris  
 372                non cessat veras fundere delicias.  
 373                Connubiumque sacrum dotali sanguine firmat,  
 374                mens pia quo plus quam dulcia mella bibit  
 375                huic tanto unitus capiti, dominoque, ducique,

376        quid faciam, aut quo jam munere sacre feram ?  
 377        Non hecatombaeos satis est offerre cruores,  
 378              non pecudum passo jam placet ara Deo.  
 379        Cessarunt priscae latices, funusque bidentum,  
 380              corda hominum, caesa non petit auctor oves.  
 381        Nil pecdum sanguis, non jam tua vincula, Moses.  
 382              Corde coli puro Conditor unus amat.  
 383        Gratior est pietas, quam victima. Surgit ad altum  
 384              Spiritus, ad patrem fortior igne volat.  
 385        Cor humile, offenso nimium placet hostia magno.  
 386              Cor humile est vivo numinis ara Deo.  
 387        Ergo ingens verusque potens qui cuncta, creator,  
 388              diligis, et nullum deseris innocuum,  
 389              ad vitam cunctas libeat modo surgere, mentes  
 390              qui cupis, ad veri dona venire boni.  
 391        Quando vides, homini clarum per funera Christum  
 392              dulcia placati regna dedisse Dei,  
 393              dum scissum templi velum, caelosque reclusos  
 394              aspicis, et nato saecula pulchra tuo.  
 395        Et renovata tuas spirant praecordia laudes,  
 396              ac bene surgenti nil cecidisse nocet.  
 397        Fac pia Salemeos tibi dentur vota per agros,  
 398              et nova per flammas tecta nitere tuas.  
 399        Jamque Sionis opus primis fulgescere muris  
 400              fac bonus, et veteras restituantur opes.  
 401        En nova calcato victor facit omnia leto,  
 402              moenia da populis et renovata tuis.  
 403        Tum sacris incende novis pia pectora verae  
 404              justitiae, gratos tunc dabit ora focos.  
 405        Tum placidum nostris veniet tibi tibia dextris,  
 406              hostia mactatus tunc erit alma Deus.  
 407        Christus et ara placens, sacrum, summusque sacerdos,  
 408              offeret aeterno seque suosque Patri.  
 409        Tunc vitulus carnis, vesana superbia cordis  
 410              vincta erit, et flammis concidet usta tuis.  
 411        Hoc decus, haec Christi pax, lux, et gloria magni  
 412              vivat, et in totum sit Deus ille diem.  
 413        Hinc deus aeternam teneat per saecula famam,  
 414              qui dat multiplices trinus, et unus, opes.

### ELEGIA QUINTA IN QUINTUM POENITENTIAE PSALMUM.

E\_5        v.1        O Christe omnipotens qui solem ac sidera versas,  
 2              obsecro, flecte aures in mea vota pias,  
 3              exaudi voces immo de pectore ductas,  
 4              nec temne ad magnum corda reversa Deum.  
 5              Jam meus iste tuas ascendat clamor ad aures.  
 6              Ah ! precor, ah, lacrimas pespice magne meas  
 7              nec ma despicias, quod caeco lumina somno

8                destitui votis proditus ipse meis.  
 9        An homo non hominem si rex aeternus amabis ?  
 10              Vulnere vel socii non moveare tui ?  
 11        A culpa infelix homo sum. Ne pelle vocantem  
 12              sed quamquam immerito vir miserere viro.  
 13        Optimus omnipotens homines ut morte levares  
 14              sumpsisti huc missus carnea membra Deus.  
 15        Verbera, crux, vepres, furiosi pocula Bacchi.  
 16              Sunt tibi pro morbis pharmaca capta meis.  
 17        Non ignara mali miseris succurrere discit  
 18              dextera, quae clavos pertulit illa feros.  
 19        Quae nexus ictusque graves patiuntur et hostes,  
 20              pectora, num genitis dura futura suis ?  
 21        Me cruce vivica peperit suspensus amator,  
 22              me genuit vivi flamen et unda Deo.  
 23        Audiat hoc pontus, terra audiat ; audiat aether,  
 24              fas mihi sit socium dicere posse deum.  
 25        Me quem Christus amans vitalibus abluit undis,  
 26              jam licet auctorem dicere posse patrem.  
 27        Ah ! Pater, oranti positis attende querellis  
 28              et socius socii vincula tolle tui.  
 29        Hinc faciem ne averte tuam. Si crimina turpent  
 30              me fecere, tuo sanguine pulcher ero,  
 31        pulcher Amyclaeam formam, Charitesque venustas,  
 32              quis neget hoc, domino te moriente fero.  
 33        Conditor ille fuit, qui me sibi pinxit amore,  
 34              nonne vides miras hunc habuisse manus ?  
 35        Affigor ligno vitae, mundorque cruore  
 36              principis, en nostris emicat ille genis.  
 37        Ille meos vultus decorat, mea corda videri  
 38              digna facit, magno conjugे pulchra Deo.  
 39        Pontificem te cerne deum, pro crimine nostro  
 40              offerre irato munera sancta Deo.  
 41        En signum , germane, pium, ne averte decora  
 42              lumina, me gemitum non viden esse tuum ?  
 43        Cum patior, succurre, parens, auremque benignam  
 44              inclina ad nostras, conditor alme, preces.  
 45        Non sum quem fugias caelo quaesitus ab alto,  
 46              quem toties flammis ad tua regna moves.  
 47        Advenio serus. Sed tu citus adspice flentem  
 48              ferre queunt nullam vulnera nostra moram.  
 49        No properes, jam virus edit mea pectora dirum,  
 50              et plus epotae plus sitiuntur aquae.  
 51        Ah ! pereo, totamque bibo per crimina mortem,  
 52              ni properam tribuas verus amicus opem.  
 53        Nec secus ac vani sinuosa volumina fumi  
 54              deficiunt, flatu quae terit aura suo,  
 55        sic nostri fugere dies, arentque medullae,  
 56              siccaque combusto sanguine corda jacent.  
 57        Cesserunt aevi flores, alacrisque juventa  
 58              corruit, et tristis spiritus ossa cremat.  
 59        Percussusque caput curis involvor acerbis.  
 60              Tota mei virtus pectoris, ut nihilum,  
 61        ut levibus ventis fragiles vibrantur aristae,  
 62              frigida populeas ut quatit aura comas.  
 63        Sic mea mens curis nunc hac nunc volvitur illac,

64                fluctuat, et votis displicet ipsa suis.  
 65                Oblitusque piis epulanda charismata votis,  
 66                nulla dedi cordi prandia digna meo.  
 67                Ut fera per silvas vento pascebar inani,  
 68                nec meus ad victum jam mihi panis erat.  
 69                Dumque flagelle timens non puro effabar amore,  
 70                non bene sunt voces corda secuta suas.  
 71                Aresco in gemitus, haesitque os carnibus ipsis,  
 72                vix mihi quae prosint dicere lingua queat.  
 73                Nec mihi diffusa mentem exonerare querella,  
 74                nec mea per lacrimas dicere vota licet.  
 75                Cum cecidi, a duro non est mihi surgere casu,  
 76                ni bonus ex limo me sibi tollat amor.  
 77                Nec mihi fas fuerit veram sperare salutem,  
 78                ni Deus ex misero funere tollat ovem.  
 79                Hoc decus aeternum est, nisi vires influat auctor,  
 80                nil caro, nil sensus nilque sophisma potest.  
 81                Mens mea si vero non sit deserta marito,  
 82                divini conjunx semper amoris erit.  
 83                At si sponte ruat, nocturnaque signa sequatur,  
 84                viderit haec, hostem tunc habet illa patrem.  
 85                Praesidio deserta jacet, non mobilis umquam,  
 86                ni juvet artherea maximus emptor ope.  
 87                Si redit ad Dominum, tunc lucida pervolat astra,  
 88                tunc sibi plus votis quam petat intus habet.  
 89                Ast ego crimen habens nulla jam rorifer umbra,  
 90                crura fero nullis firma futura locis.  
 91                Solus et in lucis erro igni percitus atris,  
 92                ut sua quae tristis pectora rodit avis :  
 93                noctua caelestes ut non bene suscipit ignes,  
 94                sic ego non radios flamma superna tuos.  
 95                Et decor omnis abest a nostro et gratia vultu,  
 96                nec placet hic oculis ignis ut ante meis.  
 97                Passer ut infelix qui recta perambulat alta,  
 98                se vigilem insanis motibus excrucians,  
 99                sic viduos sensus verso, mentemque fatigo  
 100                maestam, cui nullus jam velit esse comes.  
 101                Me miserum, quae non turbatum insomnia terrent ?  
 102                Quam nocet erranti ventus et umbra mihi ?  
 103                Conviciis multis diro torquebar ab hoste,  
 104                jurata in plagas pectora falsa meas.  
 105                Laudibus ut meritis dum me mihi turba canebat,  
 106                perfida in occultas tela movebat opes.  
 107                Et cinerem pro pane videns, lacrimasque Lyaeo  
 108                commixtas, potum riserat illa meum.  
 109                Dixit et in fletus cur pocula miscuit atra ?  
 110                An placeant ipsis mixta venena rosis ?  
 111                At dum te laesum timeo, qui cuncta gubernas,  
 112                non hostes miror, nec moror esse truces.  
 113                Aspera verba mihi ; merui tamen aspera verba.  
 114                Cum mea mens patrios laesit odore sinus.  
 115                Sic irae faciem, temerataque jura pavesco,  
 116                allidat nostros ne tua dextra sinus.  
 117                Ne contemptus amans quem vinum morte levasti,  
 118                decernas victum morte periire reum.  
 119                Tempora grata fluunt, celeres labuntur et anni,

120 vanescuntque mei ceu fugit umbra dies.  
 121 Heu stupidum, captum vitiis, pressumque sopore,  
 122 quem male tam vacuos non dolet ire dies.  
 123 Quid faciam ? Me culpa tenes, horaeque relinquunt,  
 124 heu miserum de quo tam male tempus abit ?  
 125 Aruit ut fenum, sic mens mea. Linquitur humor  
 126 deque meis votis nil nisi pulvis adest.  
 127 Sum cinis, atque mihi de vano restat amore,  
 128 nil, nisi qui in fumum perditus ignis eat.  
 129 Tu tamen aeterno numquam mutatus ab uno  
 130 stas Deus, immoto numine cuncta ferens.  
 131 Stas idem, stabilisque manens das cuncta moveri.  
 132 Nuncque tuae vitae, qui fuit ante tenor.  
 133 Atque eadem in cunctas ibit tua gloria gentes,  
 134 et numquam exhaustas semper habebis opes.  
 135 Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt  
 136 nec domini currens immemor orbis erit.  
 137 Ex genere in genus, haec venient, quae feceris, auctor,  
 138 eque tuo numero nulla peribit ovis.  
 139 Et nati natorum, et qui nascentur ab illis,  
 140 extollent passi viscera sancta Dei.  
 141 Notus eris, vivesque super vita integer aevum,  
 142 restituens leto mortua corda tuo.  
 143 Quicumque a Persis fuerit, seu natus ab Indis,  
 144 seu dabit hunc Latio Graeca marita toro,  
 145 ille tuos vultus referet, tua pignora noscet,  
 146 nullus erit verbum degener ante tuum.  
 147 Ergo age, jam exsurgens flenti miserere Sioni,  
 148 ut bonus effundas lumina tempus adest.  
 149 Transiit umbra, nitet tenebris aurora fugatis,  
 150 et medio laetus jam calet axe polus.  
 151 O sol justitiae radiis exsurge decoris.  
 152 Sole opus est lapsis ad pia facta viris.  
 153 Nunc decet ostensis lemures expellere flammis,  
 154 nunc Pharios currus vertere tempus adest.  
 155 En lapides placuere tuis, en saxea corda  
 156 mollir amor, sparsis en micat aura rosis.  
 157 Versa silex verbo latices effundet ovantes,  
 158 dux olim ut liquidas marmore fudit aquas.  
 159 Nec me despicias, quod sunt mihi terrea membra,  
 160 et mea caelestes vix capit urna dapes.  
 161 Nam terrae miseretur amor, simplexque pudendos  
 162 defectus oculis respicit ille piis.  
 163 Quis terrae et carni non misereatur inermi,  
 164 cum videt huic saevos bella movere duces ?  
 165 Cum videt aerumnis saeptam, monstroque tricorni  
 166 victam Tartareis subjacuisse dolis.  
 167 Quid mirum est, si terra cadit, si viscera terrae  
 168 terra cupid, votis si ruit illa suis ?  
 169 Cernere terra nequit quam sunt super astra, sed imma  
 170 conditione gravi postulat ipsa sui.  
 171 Quod terra est carnem terrenaque gaudia curat,  
 172 sic sponte ad falsas ducitur illecebras.  
 173 Hinc caro, et hinc sanguis, rerumque incensa cupido,  
 174 nos miseros laqueis implicat atque tenet.  
 175 Cur tantum lapsus queritur, culpasque reposcit,

176        qui facit e molli corpora nostra luto.  
 177        Errasse humanum est, veniam praestasse paternum,  
 178        optimus an misero non miseretur amor ?  
 179        Nec Cretaea Sion thalamos intrasse supernos  
 180        invideat lymphis corpora tersa novis.  
 181        Principis in cunctas surget nova gloria gentes.  
 182        Utraque ad aeternas turba vocatur opes,  
 183        Orpheus, et Thamyras, sub opaci collibus Haemi  
 184        agnoscent Domini nomina sancta sui.  
 185        agnoscent Libycae syrtes, Scythicaeque decembres,  
 186        quaeque suo Nilus vortice monstra vehit.  
 187        Et reges terrae divino colla capistro  
 188        submittent, alias non habitura deos  
 189        aedificare arces voluit sapientia firmas,  
 190        et dominus verbo cernitur ipse suo.  
 191        Pulchra Sionaei jam moenia perspice muri  
 192        purpurea indutum pallia cerne Deum.  
 193        Pignora jam summi manifestaque signa favoris  
 194        sic dedit, a nostra Virgine corpus habet.  
 195        Hoc decus est, Domini vera est haec gloria magni.  
 196        Morte sua immeritis regna dedisse viris.  
 197        Audiat orantes, conversaque respicit ora,  
 198        atque humiles inopum suscipit ille preces.  
 199        Ah, Deus, ah, tanto quis non bene credat amori ?  
 200        Mactandum culpis se dedit ille meis.  
 201        Se dedit urgendum laqueis, dum pectora nostra  
 202        liberat, et vinctas solvit ab hoste manus.  
 203        Cumque miser culpis aeterna morte jacerem,  
 204        in regno socium me facit esse suum.  
 205        Haec precor, o pariter juvenes, ausite senesque,  
 206        nec lateant ullum munera tanta genus.  
 207        Suspiciant homines mysteria numinis alma,  
 208        e populo in populum vox eat ista pium.  
 209        Divinum notescat opus. Discatque juventus  
 210        orta Deo passum concelebrare Deum.  
 211        Discat opem, et vini diffusa charismata regis,  
 212        laudare, et puro corde referre vicem.  
 213        Moribus innocuis imitabere summa docentem,  
 214        plebs aliter domino non placitura tuo.  
 215        Ille super miseros summa prospexit ab arce,  
 216        fovit et ille oleo vulnera nostra suo.  
 217        E caelo in terram divino adspexit amore,  
 218        deflexitque oculos haec super arva pios.  
 219        Vidit ab aethereo genitor pertaesus olymbo  
 220        illustres animas sub necis antra premi,  
 221        et Phlegethoneo doluit parere tyranno,  
 222        corda hominum, vivi templa futura Dei.  
 223        Utque pias lacrimas, gemitusque audivit, et ora  
 224        respicit, a plagis jam prope muta suis :  
 225        ut laqueos, ut vincla videt, totumque per orbem  
 226        cernit, Tartareis agmina captata dolis.  
 227        Se Dominum terris laeta dejecit ab aula,  
 228        atque aegris medicum se dedit ipse viris.  
 229        Adveniensque jubar tenebris effundit ademptis,  
 230        et reparat lapsum qui creat unus opus,  
 231        sic et vincla terit moriens, quibus atra peremptis

232               cum genitis vinctos ira tenebat avos.  
 233               Quosque pius princeps vitali morte redemit.  
 234               Exsurgens flammis vectat ad astra suis.  
 235               Ut Domini ingenua nomen cantetur in urbe,  
 236               floreat et sancto monte perennis honos.  
 237               Fundanturque piis tura et thymiamata dextris  
 238               et super ad patrem sidera surgat odor.  
 239               Utque Sionei celebrentur gesta triumphi,  
 240               ac deus evicto funere vivat homo.  
 241               Et Solymitanis patientem vulnera campis  
 242               laudet ad optatum turba reversa ducem,  
 243               tum coeant omnes populi, venerentur et unum,  
 244               utraque gens unum tum colat una Deum.  
 245               Tum bonus ad fontem proprio trahat agmina verbo  
 246               et Berbin, et Gangem Tibridis unda voret.  
 247               Tum reges servi fiant, humilesque potentes  
 248               et Domino vitae serviat omnis homo.  
 249               Ah, Deus, et quando fecundi in regna parentis  
 250               mens erit haec domini voce vocata sui ?  
 251               Quando erit ut dulces oculos, et pectora pulchra  
 252               intuear vivis exsatiatus aquis ?  
 253               Virtutisque viam, finitaque tempora noscam,  
 254               et mihi quam paucos rex velit esse dies.  
 255               Ah ! mihi si liceat vel morbo in morte mederi !  
 256               Quam celeres pennas hoc breve tempus habet !  
 257               At, me ne medio revoces, dum pestifer ignis  
 258               fervet, ut in tumido vasta procella salo.  
 259               Esto memor lucis qua me pius edidit auctor,  
 260               ne sine me somni nocte perire mei.  
 261               Cum sceleris culpas et crimina nostra videbas,  
 262               ipse tuis oculis et meus emptor erat.  
 263               Hoc ego jam gratus, quamvis tibi displicet error,  
 264               ut nitido vivens corpore visus eram.  
 265               Quae sint, quae fuerint, et quae ventura trahantur  
 266               cuncta sub aspectu quis neget esse tuo ?  
 267               Perpetuo tu sole viges, et fronte serena  
 268               protrahis aeternum tempus in omne diem.  
 269               Nunc velut ante tuus sine limite permanet annus  
 270               nec timet occasum lux tua plena suum.  
 271               Principio dominans, terram caelosque creasti,  
 272               et tua quod cernis dextra peregit opus.  
 273               Astrorumque ignes, variis et sidera formis  
 274               constat per verbum facta fuisse tuum.  
 275               At terrae facies, mirandaque machina caeli  
 276               finiet, et multas non feret illa moras.  
 277               Ecce ruent, illis et mors infesta minatur.  
 278               Tu tamen immoto Numine semper eris.  
 279               Semper eris, vivetque tuum per saecula nomen,  
 280               imperiumque super cetera solus habes.  
 281               Aethera, ceu vestes veterem mutare tenorem  
 282               jusseris, et solus stabis ut ante Deus.  
 283               Mutabisque polos, ut pallia regis, et illi  
 284               ibunt, non alia quam datur ire via.  
 285               Non adversa tuae restabit machina voci,  
 286               sed sibi quam legem dixeris ipsa feret.  
 287               At tibi portanti non est labor omnia soli,

288            nec tua per fusas dextra senescit opes.  
 289            Cuncta moves, idemque manes non mobilis ipse,  
 290            et tua non virtus tempore fracta perit.  
 291            Non anno vergente cadit, mutative colorem  
 292            hesternum, aut summo deficit illa bono.  
 293            Nec tibi rex tantum divina palatia formas,  
 294            illa etiam servis das habitanda tuis.  
 295            Ipsorumque genus plena florescit in urbe,  
 296            et per cuncta pium saecula semen erit.  
 297            Hoc donum, Pater alme, tuum, qui cuncta gubernis,  
 298            qui charites almas in pia corda feris.  
 299            Hinc decus, et Domino virtus et gloria magno,  
 300            qui nunc, ut semper, trinus et unus adest.

### ELEGIA SEXTA IN SEXTUM POENITENTIAE PSALMUM.

E\_6        v.1      Mens mea per Charites a somno excita profundo  
 2            sera licet, tandem plena pudore venit.  
 3            Sera licet veniens, verum petit incita patrum.  
 4            Invocat et Domini nomina sancta sui.  
 5            Exaudi vocem miseram, servumque trementem  
 6            ne pelle ex oculis, conditor alme, tuis.  
 7            Tu mihi (namque potes solus praestare salutem)  
 8            fac rata sint verbi pignora tanta tui.  
 9            Poscenti veniam magnus promiserat auctor.  
 10          Cur tua sint voci limina clausa meae ?  
 11          Si quia peccavi, non justos sanguine tergis,  
 12          quos nisi diffisos viribus emptor habes ?  
 13          Noctifer umbripotens proprio seductus amore  
 14          semper in inceptis permanet ille malis,  
 15          non teritur, non fugit inops, sed caecus iniquas  
 16          criminis in tenebras irrediturus abit.  
 17          Sic monstrum deforme gerit. Victusque sopore  
 18          denegat heu radiis pectora clausa piis.  
 19          Ast ego, deliciis miseris et imagine falsa  
 20          lusus ad aethereas opto redire vias.  
 21          Praeoo jam portas caelestibus undique flammis,  
 22          et chariten pleno protinus ore bibo.  
 23          Suscipio illapsas latices, et vertor ad ora  
 24          principis, ad firmas corda vocantis opes.  
 25          Paenitet erratem, nec sedibus haeret in iisdem  
 26          mens mea, sed verso sustinet ire gradu.  
 27          Delicias mundi, fucumque horrescit inanem,  
 28          et quicquid nimium somnus et umbra ferunt,  
 29          jam videt auctorem, jam numina laesa tremiscit,  
 30          et mota infernos evomit ore cibos.  
 31          Conubiumque tuum flammato corde reposcit,  
 32          nilque nisi iratum pertimet illa Deum.  
 33          Te fletu gemituque petit, votoque tenaci  
 34          postulat arentem quae levet unda sitim.

35 Non aliter satianda, tuis nisi fontibus, altum  
 36 clamat, et ad postes intonat illa tuos.  
 37 Nec tantum interno tentat tua viscera planctu  
 38 flectere, sed capto rumpitur illa sono.  
 39 Non multis verbis opus est. Cum pectora noscis  
 40 atque arcana meae cognita mentis habes.  
 41 Hoc sat erat cordi, plagas aperire latentes,  
 42 detegere ingratos vel sine voce sinus.  
 43 Mens mea sed quoniam cum corpore marcuit ipso,  
 44 et cecidit macula turpis uterque sua,  
 45 convenit amborum maestas offerre querelas,  
 46 et cum carne animam vulnera flere meam.  
 47 Ambo preces, ambo has voces gemitusque profundunt  
 48 sollicitatque altum motus uterque Deum.  
 49 Exaudi. Ne pelle, potens, a limine regis  
 50 quem bonus ad summas ante vocaris opes.  
 51 Auribus intensis indignum affige precantem,  
 52 ut cruce mactatus figitur ipse Deus.  
 53 Fige hominem, Domino ne me divellat ab ipso  
 54 terra, vel innumeris callida turba dolis.  
 55 Affigor, fixusque voco, ceu tempore mortis  
 56 immeritae natus te tuus ille vocat.  
 57 Invocat hic patrem, cur me sub morte relinquis ?  
 58 Ah, Deus, et carum deserie ipse virum ?  
 59 Ah, Deus, in Christo genitum ne despice natum,  
 60 quem peperit patri flamen et unda tibi.  
 61 Agnoscis Christi prolem, quam lympha decoram  
 62 reddidit attactu sanctificata Dei  
 63 an gremio depellis eum, qui numina fidens  
 64 invocat, et Domini pendet ab ore pii ?  
 65 An quia peccarim minor est Deus ? An tua mutas  
 66 numina ? Vel verbi pignora falsa tui ?  
 67 Quin age, jam a nostris ferulam convertere lumbis  
 68 et flentes oculos cernere tempus adest.  
 69 Si culpam observes, furiasque et furta reposcis,  
 70 si trahis in duras crimina nostra manus,  
 71 si furis, ad strictumque vocas rea corda flagellum  
 72 et si judicii norma severa tui,  
 73 quis valeat meritos offensi ferre furores  
 74 vindicis, aut poenas sustinuisse graves ?  
 75 Non ipsa irato restabunt sidera verbo,  
 76 quae numquam posita dissiluere via,  
 77 quae numquam placitum magni fregere parentis,  
 78 sed neque praescriptam deseruere viam  
 79 quid faciam vermis ? Vel qua ratione Tonantem  
 80 sustineam, lapsus si petit ille meos ?  
 81 Si numerat gressus varios, pectusque nefandum  
 82 adspicit, et votis prodita corda suis ?  
 83 Si scelus et moeres, et crimina censor acerba  
 84 postulat, in poenas non satis unus ero.  
 85 In cineres redigar, si me tua fulmina tangant,  
 86 ne saevi in servum, Conditor alme, tuum.  
 87 Tu pietate pium misisti ad funera natum,  
 88 pulvere ut ingratos tolleret ille viros.  
 89 Ut mortem moriens, et Avernas frangeret iras,  
 90 nec sineret rabidos in pecus ire lupos.

91 Sanguine jam populis ab iniqua morte redemptis  
 92 quis sibi non blandum speret habere Deum ?  
 93 An solitus toties fraterna resolvere vincla,  
 94 non me de laqueis eruat ille meis ?  
 95 Jam mihi, jam bonitas, pietas, charitasque, benignum  
 96 Numen ades, magnus cui neget ora Deus ?  
 97 Cui ? Nisi qui verum contra furit, utraque claudens  
 98 limina, et in faciem pneumatis arma gerit.  
 99 Ast ego, cui vivo promissa est gloria verbo,  
 100 in Domini tanto pignore firmus ero.  
 101 Sustineamque tuum per cuncta pericula regnum,  
 102 meque tuae laetum legis habebit amor.  
 103 Lex tua, vere parens, tua qua mihi certa voluntas  
 104 me facit in mediis sistere posse malis,  
 105 afflictusque miser, pressus, letoque minaci  
 106 territus, esuriens te tamen usque sequar.  
 107 Ut verso veniam praestant tua foedera dulcem,  
 108 sic spes de justa lege salutis adest,  
 109 dumque tuas Charites firmataque jura capesso,  
 110 spero revertenti nulla neganda mihi.  
 111 Sustinet in sancto quod sustinet omnia verbo,  
 112 hic mea mens quantas jussaris esse moras.  
 113 Sit quodcumque regens caelum decrevit et orbem,  
 114 in Domini verbo, nulla timenda viro.  
 115 Nec me inferna phalanx, nec monstra furentia terrent  
 116 quem ducis aetherea spes animavit ope.  
 117 Tartara mota crepent, tenebrosaque regna fatiscans  
 118 spes mea de tuto non ruet icta loco.  
 119 Quis Chariti sanctae, divino credere verbo  
 120 quis dubitat ? Domini quis timet arma sui ?  
 121 Non me confundet, qui me sibi junxit amore,  
 122 qui socium magni censuit esse Dei.  
 123 Sperat in aeterno qui condidit omnia Patre,  
 124 mens mea, Tartareos nec tremit illa duces.  
 125 Nam quoties leti laqueos et crimina cernit,  
 126 nomine in ultioris pallida semper adest.  
 127 Sed quoties ligno Christi morientis imago,  
 128 et subeunt oculis vulnera sancta reis,  
 129 exsurgit laetisque animis, positoque timore  
 130 libera ut, angelicos advolat illa choros.  
 131 Speque alacri empyreum jam concipit incita regnum,  
 132 ac velut evicto pondere carnis ovat,  
 133 tu quoque, qui Solyma dominum meditaris avena,  
 134 et summo fixum cernis amore Deum,  
 135 qui tribulos capit is, qui flentia suspicis ora,  
 136 quassaque per diras lora cruenta manus,  
 137 quique alapas, vinctosque pedes, dextrisque, latusque  
 138 et memoras quinis vulnera facta locis,  
 139 si cupis Israel, censeri hoc nomine dignus,  
 140 qui videoas oculis nomina sancta tuis,  
 141 spe vive, et indigno mactatum funere regem  
 142 spe sequere, a Domino nec moveare tuo.  
 143 Te vel in aurorae Zephyros, vel noctis in umbram  
 144 sors vehat, ad verum lumina volve bonum,  
 145 te nec laeta levent, nec tristia monstra fatigent,  
 146 hoc est veracem corde tenere ducem.

147 Praeterit umbra cadens. Vanae cur haeseris umbrae,  
 148 si data cerneti vera videnda tibi ?  
 149 Surge animo, et cernens generosam concipe lucem,  
 150 qua pius Israel principis ora videt.  
 151 Non Dominus verum vana spe ludet amorem,  
 152 quis bona non Domini speret habenda pii ?  
 153 Promisit, praestabit, erit pulcherrimus ordo  
 154 integer, e numero nulla peribit ovis.  
 155 Vis esse ex numero, tantum ne obsiste vocanti,  
 156 te vocat ad vitam mortuus ille bonam,  
 157 quod promisit, erit. Promissa reposcere dona  
 158 quis timeat, verum si videt esse Patrem ?  
 159 Quis titubet ? Quis non speret pia munera magno  
 160 danda Deo, socium qui sciat esse suum ?  
 161 Quid spes non ausit ? Quid non speraverit ultro  
 162 pro afflictis passum qui videt esse Deum ?  
 163 Non meritum, non gesta cano, nigrescimus omnes,  
 164 turpia sunt luteo pectora nostra lacu.  
 165 Quod lapsi, a viciis deluso exsurgimus Orco,  
 166 praestitit hoc domini flamma favorque pii.  
 167 Hanc chariten solitis qua non erramus in umbris  
 168 spiravit nostris mentibus ille prior.  
 169 Dilexit prior, et charis dedit oscula natis,  
 170 optimus in miseros sic miseretur amor.  
 171 Ille salutis opes, ut pleno copia cornu  
 172 fudit, et aethereos nostra per ora cibos.  
 173 Et triplices hostis jaculos, vastamque pharetram  
 174 delet, et infernos conterit ille duces.  
 175 Nec tantum merita damnatos morte redemit,  
 176 dat fuso plenam sanguine justitiam.  
 177 Nec sat erat caelos parvo conferre labori,  
 178 vult etiam pretium muneris esse sui.  
 179 Ergo, huic, si valeas grates dependere dignas  
 180 incipe, magnifico mens animata Deo.  
 181 Incipe jam exsurgens, candardibus incita flammis  
 182 divinum puro pectore ferre jubar.  
 183 Ecce Sionaeo veniet de vertice ductor,  
 184 et redimet populum mortis ab ore suum.  
 185 Impietatis onus de charo avertet Iacob,  
 186 et scelus a lectis auferet ille viris.  
 187 Concidet Israel pulsa tibi carneus umbra,  
 188 et pia perspiciens numina salvus erit.  
 189 Hinc aeternus honos, et veris summa triumphis  
 190 gloria, sit trino tempus in omne Deo.

### ELEGIA SEPTIMA IN SEPTIMUM POENITENTIAE PSALMUM.

E\_7 v.1 Oro iterum, exaudi afflictum, ne despice servum  
 2 orantem satis est non semel esse mihi.

3 Saepius oranti, quamvis male numina laesi,  
 4 praebe aures animo, Conditor alme, pio.  
 5 Spes bona adhuc aegrum retinet, si nomina patris  
 6 invocet, et medici robora magna sui.  
 7 Quis reus imploret, cui non bene fidat amantem ?  
 8 Aut quis non firmo fidat ut ante Deo ?  
 9 Sum reus, et fateor. Magno est mihi culpa pudori.  
 10 Offensi paveo limen adire ducis.  
 11 Sed verum scio te Dominum, verique tenacem,  
 12 nec timeo Domini fraude perire mei.  
 13 Tu verus (nec nostra fides aut fallere novit  
 14 aut falli) versos ducis in astra viros.  
 15 Tu semper misereri optas, et parcere ductor,  
 16 ni nostra afflatum pellimus aede tuum.  
 17 Stat deus, et vitam vero promittit amanti,  
 18 et scelus exutis tradere regna solet.  
 19 Ut promisit, erit. Promissa reposcere dona  
 20 mens dubitet firmi voce vocata Dei ?  
 21 Nomina justitiae nimium trepidanda cadenti,  
 22 nec digna est puro mens temerata Deo.  
 23 At sunt justitiae mihi pignora, conditor orbis  
 24 justitia intrepidum me jubet esse sua.  
 25 Datque suis justus justa splendescere forma,  
 26 restituens veram sanguine justitiam.  
 27 Eripuit moriens a Dite, et morte fideles,  
 28 justitiae veras tunc quoque donat opes.  
 29 Cum primum Abramidae Pharia ducuntur ab umbra  
 30 sanguine placatus dat sua signa Deus.  
 31 Nunc simul, ut culpae somno surgamus Averno  
 32 divinum proprio sanguine fecit iter.  
 33 Justitia que decus pretiosa contulit ara,  
 34 et pulchros plagis nos facit esse suis.  
 35 En Christi faciem, cernis Pater. Adspice sacra  
 36 vulnera justitiae facta ministra novae.  
 37 En micat ante deum Christi morientis imago :  
 38 illa tuos oculos flexerit, illa meos.  
 39 Illa tuos, famulis ut non moveare repulsis,  
 40 utque sequar vocem principis, illa meos.  
 41 Debueram Dominum signo observasse fideli,  
 42 nec male tam gratum deseruisse ducem,  
 43 sed cecidi. Abjecto debent mea pectora Christo  
 44 exponi cunctis impia praeda malis.  
 45 At pius es, Christumque vides , en debita solvit  
 46 ille mea. En culpis occidit ille meis.  
 47 Si petis a Christo mea crimina, nil moror et <nil>  
 48 deprecor, ille suam tollet honore crucem.  
 49 Ille suos agnos gremio servabit amico,  
 50 nec sinet inferni fauce perire lupi.  
 51 Meque reum mortis, magni monumenta triumphi,  
 52 justus ab irato proteget ille Deo.  
 53 Secluso Christo perii. Nec funus et orcum  
 54 diffitear factis me meruisse meis.  
 55 Tum chaos, obscuris et regna furentia flammis,  
 56 et subeam Stygii turpiter ora Jovis.  
 57 Non opus est, si injusta velis expendere facta,  
 58 pectora judicio cogere nostra tuo.

59 Non volo, nec cupio nostram defendere causam,  
 60       qui me tot caecis nexibus implicui.  
 61 <Si> justum quemquam video, qui se bene possit  
 62       tollere humo, atque oculos ante nitere tuos.  
 63 <Atque> feros homines, jaculis furiosus et igni,  
 64       nocte sub horrenda perfidus hostis habet.  
 65 <Sic> inopem dejecit humo, luditque jacenti,  
 66       atque humilem multa qua rapit arte, tenet.  
 67 Transcriptumque locat funesta in Tartara civem,  
 68       meque sub obscuris deprimit ille locis.  
 69 Utque super cubuit victos ulciscitur angues,  
 70       nec saturo lacrimis ipsa sepulchra meis.  
 71 Non secus ac maesta defletum morte cadaver,  
 72       heu, jaceo laesi crimen onusque tori.  
 73 Et mea mens tactu veri deserta mariti,  
 74       ut corpus cassum lumine sola perit.  
 75 Hinc meus, ut rabidum qui praecipitatur ad Orcum,  
 76       spiritus in curis anxius est variis.  
 77 Nunc timet intrantem per multa foramina mortem  
 78       nunc rea letiferas ire sub ora faces,  
 79 inter serpentes, apros, taurosque, luposque,  
 80       jactor, et haesuros cerno per ossa canes.  
 81 Turbatusque gemo, nullasque in vulnera vires  
 82       cor habet. O factis praemia digna mei !  
 83 At quando in dextram versis obluctor habenis,  
 84       sumque memor visus nil valuisse meos,  
 85 antiquos expendo dies, notumque Tonantem,  
 86       et recolo fastis saecula prisca suis.  
 87 Occurris menti princeps, rectorque, parensque  
 88       cujus perpetuum dextra peregit opus.  
 89 Nunc et olympiaci visu sequor agmina regni,  
 90       ac meditor lectos pace nitere choros.  
 91 Nunc caeli formam, varios nunc aetheris ignes,  
 92       nunc mea de Ebronico fingere corda luto.  
 93 Nunc hominis casum miseris, curamque, famemque  
 94       notaque damnatis damna paterna viris.  
 95 Iratumque patrem vitio implacabile numen,  
 96       inferna in cunctos solvere monstra reos,  
 97 hunc desolatas vastantia crimina terras,  
 98       inque hominem Stygias arma tenere manus.  
 99 Tunc video ut patrium descendit ab aethere verbum,  
 100       ut tribuat morbis pharmaca sancta meis,  
 101 fecundas Charites, et pectora munda cruore  
 102       agnosco, et magni pignora tanta Dei.  
 103 Dumque meam vitam sensu meditabar aperto,  
 104       perspexi propria me cecidisse manu.  
 105 Tunc puduit letum dulci praeponere vitae,  
 106       ac domino et sociis hostica signa meis.  
 107 Vulnus et ut nulla video reparabile dextra,  
 108       hac nisi quae placito condidit astra suo,  
 109 ad tua cunctipotens vincitis pia numina palmis  
 110       verto iter, et quamquam serus amore voco.  
 111 Quid petis a misero ? Summi fero vincla pudoris.  
 112       Sum reus. Et quicquid jusseris illud erit.  
 113 Nec me sic leti rabies, nec Tartara terrent,  
 114       quam mihi si iratum dixeris esse Deum.

115 Quam si virginibus celebrans connubia lectis  
 116       rex, mihi jam clausam dixeris esse viam.  
 117 Absit, et iste metus puro vanescat amore,  
 118       absit et ab sponso vox inimica meo.  
 119 En tremulas expando manus, en surgere tento,  
 120       et tua lustro oculis vulnera pulchra meis.  
 121 Amplexor torque crucem, pallentia funere membra,  
 122       et jacto in Dominum brachia lassa meum.  
 123 Sed sine te sicca jaceo resupinus arena,  
 124       estque resurgendi summa negata mihi.  
 125 Si manibus non ipse manus fixeris auctor,  
 126       dextraque placati me levet alma Dei,  
 127 qui cecidi, jaceam sterilis, nec viribus ullis  
 128       possum de luteo tollere membra toro.  
 129 Nec sine te prolem, nec dulcia germina mittam,  
 130       ut rea, quae nullis arva rigantur aquis.  
 131 Semina perdideris, vivum nisi desuper imbrem  
 132       miseris, in culpis corda sepulta meis.  
 133 Quis sine te valeat fructum praestare virentem,  
 134       quo sine non usquam lympha salutis adest ?  
 135 Ergo age, ne dubites gemitus audire doloris,  
 136       ne lacrimas servi despice magne tui.  
 137 Deficit hic animus, vario qui percitus igni,  
 138       quae sentit nulla pandere voce potest.  
 139 Spiritus atque meus cunctas tenuatur in horas,  
 140       flebilis et longos non velit esse dies.  
 141 Nec mihi vis ulla est, Dominum spectare furentem  
 142       nec patris offensi lumina ferre licet.  
 143 Ni cito de culpis duros averteris orbes,  
 144       quis queat iratum non trepidare Deum ?  
 145 In nihilum redigar, si me tua flamma favorque  
 146       destituat, vitae luxque decorque meae.  
 147 Nec mea monstra vudens vultus averte decoros,  
 148       an miseram mentem deseret almus amor ?  
 149 Omnia perpetiar nulla superabilis unda,  
 150       dum tua lux oculis fulserit una meis.  
 151 Haec valet in portum sensus duxisse natantes,  
 152       illaesum ex immo me feret ipsa lacu.  
 153 Quo me dejeci inferius, ducis, altior exstat  
 154       gloria, qui victis me revocavit aquis,  
 155 tunc erit, ut liceat (si me pia numina servant)  
 156       ponere de eluso bina tropaea dolo.  
 157 Nec bonus indignum vana spe ludet amantem,  
 158       sperat enim domino mens mea firma suo.  
 159 Sperat enim, fiditque patri, sed nocte profunda  
 160       quis queat ad laetos tollere corda dies ?  
 161 Dulcis in auroram venias, durumque soporem.  
 162       Pelle micans, votum ne tegat umbra meum.  
 163 Ante hiemem, glaciem, vitium, tenbrasque furoris,  
 164       fac tua sint animo verba recepta meo.  
 165 Sint oriente die, veri mihi pignora verbi,  
 166       nocte sub obscura quis vigil esse potest ?  
 167 Has si terra vices somno concludit inerti,  
 168       quis dabit, aeternam quae levet unda sitim ?  
 169 Quis clarum monstrabit iter ? Pandetque latentes  
 170       delicias, dextris et data dona tuis ?

171 At pie, si qua cupis caelestia lumina terris  
 172 fundere, jam rectam da mihi nosse viam.  
 173 Da fontem lustrare boni, da luce reperta  
 174 mea confixo figere corda Deo.  
 175 Da purum servare animum, callemque salutis  
 176 noscere, nec verso linquere recta gradu ;  
 177 da, Pater, augustam menti descendere sedem,  
 178 qua tibi non alio sit placitura bono.  
 179 Per te virtutis nota est via, corda sophorum  
 180 quae prius immundis saepta latebat aquis.  
 181 Haec mihi praefixa est, et ad hanc mihi Christus amore  
 182 immenso clarum sanguine fecit iter.  
 183 Sed quia mortales diro torqueatur ab hoste,  
 184 exagitat nostros improba turba sinus.  
 185 Insidiisque necis, ferro vastamur et igni,  
 186 oppressi innumeris nocte dieque malis,  
 187 rector ades, scissamque ratem devolve per undas,  
 188 ne trahat immersum vasta procella virum.  
 189 Ipse meos sensus alienis eripe castris,  
 190 qui mihi das regno sceptra teneda tuo.  
 191 En cuneos , alasque truces, letique phalanges,  
 192 eripe me servum vinctus ut ante tuum.  
 193 Ad te configui fugiens mea tela, meosque  
 194 ausus, et voti monstra cruenta mei.  
 195 Suscipe sub gremio pavitantem, et dira timentem  
 196 supplicia, a magno magna petenda Deo.  
 197 Nec coepisse sat est, iterum casurus in hostes  
 198 deferar, o culpae damna pudenda meae,  
 199 ni miserum edoceas, quae sit tua sancta voluntas,  
 200 hanc solam et cunctis viribus usque sequi.  
 201 Quis queat in caelos humano ascendere curru,  
 202 ni Deus aetheream monstrat ab arce viam ?  
 203 Quis non Tartaream moriens descendat abyssum  
 204 si placidum summi nesciat ille Dei ?  
 205 Scire Deum, scire est. Dominum qui nesciat, omnes  
 206 nescit opes, noto cuncta scienda Deo.  
 207 Nec me despicias mysteria summa docere,  
 208 an dominus servum non regat ipse suum ?  
 209 Tu Deus, et misericordia vero succuris amore.  
 210 An sua dilecta gaudia celat amor ?  
 211 Meque tuus flatus rectum deducet in orbem,  
 212 cumque animo terrae munia perficiet.  
 213 Sensibus et numquam flammea restare supernae  
 214 conferet, et summum vincula pacis opus.  
 215 Nec tanta haec meritis debenda est gratia nostris  
 216 sed ratione pii stat charis ipsa Dei.  
 217 Sic decet aeternum fulgere in saecula Christum.  
 218 Sic datur et domino summa corona meo.  
 219 Si mihi vitalem per nomina sancta liquorem,  
 220 des bonus, et vitae gaudia viva novae.  
 221 Hoc aequum est, dignumque Deo, qui morte perempta  
 222 mortuus erectos ductet in astra viros.  
 223 At quoniam luxus maternis saevus in armis,  
 224 esurientesque meum vertit acerba caput,  
 225 educes me vinctus amans de tristibus horis,  
 226 nec mea sub Phario desere colla jugo.

227 Tu pius altitonans nostro succurre labori  
228 per te, qui numquam non bonus esse voles.  
229 Tu, qui me cruciant hostes, variosque tumultus  
230 perde potens, dextrae quis neget arma tuae ?  
231 Hinc adversa furit Babylos, hinc pestifer ignis,  
232 hinc furit in nostros infera turba sinus.  
233 Pugnat ab elato rabies taeterrima ponto  
234 et tribulant animam carnea monstra meam,  
235 haec confunde potens ; meque his Deus eripe flammis.  
236 Obruat ut servum nulla procella tuum.  
237 Ac terrena sitis divino caedat amori,  
238 dum tribuis famulo pocula sancta tuo.  
239 Ut qui dulce jugum Christi morientis adorat,  
240 vivat, et angelicis sit comes ille choris.  
241 Hic honor est, summo laus haec, et gloria regi,  
242 qui decus aeternum, trinus et unus habet.

oooooooo  
ooooo  
ooo  
o